



(3.)



Digitized by the Internet Archive  
in 2014

- 26 -

5 12 1846

Abt - 30





TESSERAE GENTILITIAE



A SILVESTRO PETRA SANCTA  
ROMANO SOCIETATIS IESV  
Ex legibus Fecialium descripta.

ROMAE Typis hæred. Francisci Corbelletti Superiori præmissu. MDCXXXVIII.



Journal of the ...



Illustrissimo, & Excellentissimo Principi

THADAE O

BARBERINO

ALMAE VRBIS PRAEFECTO.



XSTIMVLAVERANT me pridem iura obsequij mei, praesertim quoties typis vulgarem lucubrationes aliquas; vt inscriberem eas tutelari nomini Excell. Tuæ; siue patrociniij causa, vt armarentur BARBERINAE, pro me praesidiarię APES; siue testaturus, me obstringi Excell. Tuæ nominibus magnis, nomenque ideo Tuum efferre in fronte voluminis mei. Sed consultò distuli, donec insignia hæc gentilitia in promptu haberem, iure suo dedicanda PRAEFECTO VRBIS; in quo, & generis claritas, & felicitas, & virtus videntur mihi designari, per aureas APES tres, in clypeo stemmatis Tui. Si relegere sit superiora secula, praesto erunt ex BARBERINA GENTE plurimi, qui suam imprimis profapiam illustrarunt. Quãdo Semifontis vetus Respublica, & in Etruria opibus pollens, ante annos amplius quadringentos deleta, æmulam suæ magnitudinis Florentiam

Anno  
MCCII.

tiam ruinis proprijs locupletauit; initiò quidẽ aliquos, deinceps plurimos ex suis in eam Urbem trãscripsit, nempe in plebem Ciues, Optimates in Curiam; & quia BARBERINI inter hos erant primarij, concesserunt etiam ipsi Florentiam, in primum nobilitatis ordinem adlecti; atque ita fanè omine faustissimo, in Regiam florum APES immigrauerunt. Ibi verò, sicut semper antea, ineundo pares, hoc est nobiles nuptias, per coniugia cum Baroncellis, Bardis, Couonijs, Miniatis, Albertis, Pittis, Orlandinis, Albizis, Canigianis, Peruzijs, & cum alijs vetustioribus, quæ in Ciuitate erant principes familiæ, honoratissimis affinitatibus arctius complexi nouam Patriam, progeniem dederunt semper generosiore; muniaque publica & potissima obiuerunt domi forisque. Ex eorum stirpe FRANCISCVM BARBERINVM, iuris prudentia, & præterea omni elegantia politiore excultum, Parens Etruscæ facundie, velut æquitatis Præsidem, literarumque & Musarum sacerdotem celebrauit elogio perquam honorifico. Ut compellem hic tamen solos Maiores Tuos, ac successionis propagatores: IOANNEM filium MAPHAEI Administratorem belli Respublica nominauit, rerumque Arbitrum, esse in Castris voluit. CAROLVS verò MAPHAEI perinde filius, contulit se gloriosè ac strenuè ad complures bellicas expeditiones. Sed & aliquantò ante THADAEVS, familiæ maximum decus, Patriæ constitutæ in angusta re, consilio atque opibus aliquoties præsidio fuit. Et fuerunt, qui præter laudes tam eximias profusæ liberalitatis, militaris gloriæ, atque ingeniosioris literature, cordi habuerunt etiam pietatem: nam ANTONIVM BARBERINVM, inter electos primo loco Duodecem-viros inopum Sancti Martini patronos, scripsit Sanctus Antoninus Florentinorum Antistes religiosissimus. Patriæ verò perstudiosus atque amantissimus fuit alter ANTONIVS, titulis quibuscumque fortunæ

*Io: Poccaccius in  
Gen. Deor. lib. 15.  
cap. 6.*

*Jacobus Philippi  
in Chronicis Or-  
dinis Eremitar.*

Anno  
MCCCCXXIV.

Anno  
MCCCCXXX.

Anno  
MCCCLXXV.

Anno  
MCCCLIX.



tunę magnę hunc vnice anteferens; vt esset ac diceretur Optimus Ciuis. Horũ ego interim peculiariter nomina, ex prisca recensione temporum, commemorauit vel ideo; quia in BARBERINA familia hodieque vigent maximè, honoribusque, & moribus cultissimis inornantur. Alioquin suspexerunt receter, Roma quidem alterum FRANCISCVM, virum sapientissimum, & fortunatum VRBANI MAXIMI educatorem: Belgium verò, theatrum belli, ex quo militiæ famam nationes petunt, Equitem RAPHAELEM BARBERINVM; qui consilio & manu ex æquo inclytus, incertum de se iudicium reliquit; vtra nimirum laude, Martis an Mercurij gloriosius præstaret, fortissimus in acie, prudentissimus in obita ad Britannos legatione.

Ex Proavis & Tritauis aliquoties BARBERINVM nomen accepit, promiscuè cum alijs Patritijs, & reddidit interdum etiã vrna, quę fortitò statuere solebat supremum Reipublicę Magistratum. Quod si glorię huic originis paternę (quam ex publicis tabulis & monumentis constat, nūquam imminuta gloria, perseuerasse facile annis quingentis) claritudo materni generis à me iam accenseatur, illam repetere possem ab ætate non minùs longęua: nisi satis interea esse arbitrarer, de ea rarum aliquod & singulare in Italia decus referre: nimirum præter connubia, quę commemorauit cum Albizis, Pittis, Albertis, Orlandinis, Canigianis, Peruzijs alijsque, haud intermissa serie, ad octo vsque ascendi posse coniugum nobilissimarum stemmata, ex lectissimis Florentię familijs; vti APVM semper fuit flores legere. Hoc enim ordine postremis temporibus Baroncelli, Belincionij, Bardi, Couonij, Miniati, Rustici, Barbadori, Magalotti BARBERINIS feminas nuptui dederunt. His verò vna Romana modò accessit ANNA COLUMNA, quę genere virtutibusque Heroïna, & animo supra sexum, tantummodò femina est felicitatis vteri, & Liberorum aureo-

Anno  
MCCCXLVII. &  
MCCCLXXI.

rum

rum fecunda genitrix. Ut proinde BARBERINA GENS  
(cum omittam, vicissim ex ea Stratas, Bladas, Diacetos,  
Bellaccios, Gherardinos, Pulcios, Guidaccios, Beninos,  
Mazzinghios, Popoleschios, & primores quosque feminas  
accepisse) ob diuturnam istam & reciprocam paterni ma-  
ternique generis claritudinem, inter Italię illustres fami-  
lias connumerari possit. Sed quorsum diutiùs intueor, &  
contemplor, seu illa Sydera, seu hanc Auroram; dum ab  
VRBANO SOLE conferenat vndique, ac felicissimè cir-  
cumstat ei, velut chorea quędam luminum lætissimorum,  
CAROLI duplex triumviratus, in Liberis alter, & alter in  
Nepotibus, perennitas BARBERINAE faustitatis? Hęc est  
videlicet summa felicitas Tua, & vtinam perseueret in  
longissimum diem. Dignus enim verò eras, qui vnus eli-  
gereris, vt ad REGINAM HUNGARIÆ, iã coniugem Au-  
gustam FERDINANDI III. per ditiones Pontificias com-  
meantem, pro VRBANO PONTIFICE, officiosa legatione  
fungereris: atque vt insuper audires ALMAE VRBIS  
PRAEFECTVS; aureaque conspicuus toga, comitantibus  
Senatu, & Dynastis Romanis, quãdoquidem omnes vnus  
viceras humanitate, ideo vnus etiam pompa sanè memo-  
rabili triumphares. Magnitudinis titulos alios felicitati  
perinde adscriberem; nisi à me iam virtus potiùs Tua de-  
beret ad famam transmitti; & moderatio illa præfertim,  
sine exemplo maxima; qua scilicet visus es alacriùs & pro-  
pensius Principatum Urbini, nobilem iuxta & opulen-  
tū, Apostolicę Sedi asserere; quàm eum sperare, aut Tibi,  
aut posteris Tuis. Secùs ambire satis noueras labores, &  
pericula, sæpiùs relicta Vrbe, vt consuleres publicę secu-  
ritati: dum bellis intestinis conuulsa Italię viscera mise-  
rum in modum afflictaerentur. Et tum coorta aliquando  
gravi simultate, mirata est Ferraria, arrepto militiæ scep-  
tro, Te illicò adfuisse; cohibuisse pro potestate motus eos

ani-

animorum iam noxios & cruentos; ac momentò redu-  
xiſſe tranquillitatem. Si panegyricam laudationem, &  
non epistolam breuem pangerem; diſtinguerem profectò  
atque proſequerer ſingillatim virtutes Tuas; vt dicam  
tamen ſummatim omnia: ibit in ſæcula id, quod Roma  
cum admiratione & plauſu videt: Te videlicet nulla vi, vi-  
tioque nullo egiſſe conſanguineum PRINCIPIS; ſed cum  
peræquè ſis virtute ac genere illi propinquus, videri vo-  
luiffi moderatione parem ijs, quibus honore præeras ac  
potestate. Dum hoc vnicè commemoro, cuncta me com-  
plecti agnoſcent ſapientes quique; vtpote gnari, fortunam  
indulgentem & propitiam regi difficiliùs multò, quàm  
eam aduerſam & iratam. Alia itaque ſileo, & qui Tuam  
virtutem veneror; amo & ſuſpicio felicitatem nobilita-  
temque; idem in pignus obſequij manſuri atque æterni,  
has gentilitias teſſeras, fortafſe habituras, Te patrocinan-  
te, iugem ætatem, dedo, ac dico. Vale, & ſoſpitem  
VRBANO PONTIFICE, ac PATRVO, ſis diutiſſimè is, qui  
ab indole generis, à fortuna, & à virtute vſque adhuc fuiſti.  
Ita voueo, Romæ V III. Kal. Iunij MDCXXXVIII.

Excell. Tuæ

Addictiſſimus, & obſequentiſſimus  
Silueſter Petra Sancta è Societate I E S V.





# LECTORI.



*IMPROBUS* labor sanè mihi visus est is, quem iam ego in hoc Volumine exegi. Erycius Puteanus Vir disertissimus, rem diffusam vocavit, delicatam scientiam, curiosam censuram: iudicavitq. intelligere omnia, ordinare singula, arduum esse: sed præcipuè effatu omnia, verbis singula completi, morosum, & immensum videri: denique existimavit difficillimum, Latina facere, ac proferre ore Romano ea, quæ Fecialium verbis enunciantur; & ostendere colores, licet ij non exprimantur, quidvè debeat penicillus sequi, calamo docere. Sic ipse.

Equidem expertus sum affatim hæc omnia; dum uniuersam artem tesserariam expositurus, studui indagare originem eius; diuidere, ac decussare scuti aream; tæ-nias, & lemniscos in ea varios ducere; aues, feras, undas, nubes, astra, stirpes, flores, arma, moles, machinas, & quas non alias rerum formas exarare? aptare insuper galeas, seu apertas, seu clatratas, seu rectas, seu versas & obliquatas; fastigiare sermo seu corona; inumbrare plumis & corimbis; Crucibus monilibusque & vexillis inornare; munire Atlantibus; denique palliolis atque tentorijs, prorsus ad Maiestatis specimen, velare.

Porro id operis sum aggressus, dum eram in Germania Belgioque; partim ut horis subcessuis, desiderium Italiæ simul, ac tempus fallerem: partim ut (quia duo potissimum erant, quæ excogitata cum laude, scribi atque excudi solum sermone vulgi dolebam, arctarique finibus Nationum earum, apud quas nata erant) ego utraque communicarem toti Europæ: quò ita possent deinceps, pulchro & laudabili commercio, has etiam opes ingenia nundinari.

Nempe Itali nostri Symbola Heroica, & inuenerunt primi, & redegerunt etiam in artis præcepta: ego cum à multis ea expeterentur, de iisdem scripsi Latine, qua maiore potui solertia; præsidijs magnis tamen, hoc est libris Italicis, destitutus. Nihilominus haud me operam omninò lussisse, suadere voluissent, litteræ Amicorum: ut ferme, aliquid meas esse nugas, existimauerim.

Ad hæc quoniam Galli, & Britanni, postquam virtus & nobilitas pompam quasiuerunt, traduxerunt ad artem, studio & ingenio miro excultam, stemmata familiarum: hanc ego artem etiam, eiusque præcepta Latine tradere deliberavi: ut  
vicif

vicissim tractatum alterum ex Italia Ultra Montes, alterum inde in Italiam transueherem; nec sine delectu; quoniam in illo spectare sit specimen ingenij nobilis, & in hoc specimen ingenue nobilitatis.

Gratum fore hoc plurimis, opinor; quo enim pacto agnoscere viros nobiles possimus; nisi eorum stemmata teneamus? quod cause fuit, cur viri Principes aliqui, consilium probauerint, laudauerintque. Si qui tamen abnuent fastidiosiore supercilio; hi aut simul cum C. Cesare insignia sua nobili cuique adimant; aut equi boni consulant, ea à me explicari, ordinarique, si minus etiam illustrari.

Attamen fateor; duo sunt, ob quæ animi angor & metuo; ne dum promulgo gentilitias has tesseras, congruè ad vocabulum earum, videar arma & prælia serere, Cadmo infelicio, dentesq. exacere, seu immutare in bellatorum, & gladios, & frameas. Arma, inquam, & prælia, non sententiarum quidem (neque enim hæc adeo reformidarem) sed querimoniarum.

Deliberaueram nimirum, dum artem has tesseras figurandi, nobilem iuxta, & circumscriptam consentaneis legibus ederem, generatim quidem omnia prosequi; sed exempla (quæ nolui utique ingenio proprio comminisci) sumere ex nobilium, ut ita dicam, armamentarijs; quemadmodum exigeret methodus à me instituta.

Verum statueram etiam, silere interim eorum nomina: ne grauius fortasse acciperetur; vel familiarum stemmata quadam referri, & quadam præteriri; vel (quod in summa etiam Scriptoris diligentia euenire potest) variari interdum in eis, seu colorum, seu metallorum lumina.

Ita nimirum, si cuncta congruerent: quisquis agnouisset suum proponi stemma, potuisset interpretari beneuolè; lapsum illud in huius Operi codicum fuisse, quemadmodum ancile olim de celo. Secus deprehensa varietate, dixisset saltem; colorem hunc immutes, seu hoc metallum, & habes meum stemma.

At oportuit manus dare, persuasionibus dixerim, an imperijs Virorum summa auctoritatis; quibus visum est satius multo, de familijs aliquot millenis, appellando eas ad honorem & ad lucem, benemereri; quàm paucorum commoueri querimonijs; quæ videantur præsertim, haud prorsus meritò ab eis obueneri.

Quis enim uerò, vel si præ Vlysse lustrasset peregrinabundus terrasq. & maria omnia; rediret locuples & conscius omnium istiusmodi tesserarum; dum nec illi Scriptores numerarunt singulas vnius, seu Prouincie, seu Nationis: qui certos sibi ad scribendum limites præstituerunt?

Ne mihi deinde vitio verti possit qualiscumque colorum & metallorum in tesseris variatio; ponè singulas adieci nomina Scriptorum, ex quibus eas deprompsi. Hos itaque causam dicere, non me in ius vocari, huius deprauationis reum, oportebit.

Quia interim in altero parui, & in altero caui periculum offensa; si adhuc iniuria tamen à quopiam insimuler; erit cur me defensum petam, eorum centenis & millenis clypeis; qui non tam in lucem prodeunt, quàm in aciem, hoc Volumine meo.

Ceterum cognomenta familiarum adscripsi, quàm minima licuit variatione, ut agnoscantur ea facilius. Quoniam etiam videri poterunt voces nonnullæ, prouenire utique artis conditione, aut minus usitata, aut minus peruia, & ut ita dicam

cam salebrose : idcirco elenchum earum , interpretationemque Operi adiunxi . Adeo nihil omisi , quod profore existimauerim ; ut sit facilis ; hac introductio ad artem nobilissimam atque pulcherrimam rei nostræ tessera .

Erunt fortasse , qui penetrabunt in adita eius sacratoriâ , & dabunt originem peculiarium etiam iconum gentilitiarum . Exponent videlicet ; unde nam acceperint Austriaci argenteam institam ; Borbonij aurata lilia ; Barberini apes aureas ; Columnij columnam argenteam , auro fastigiatam & diadematam ; Comites aquilam , scutulis & aureis & furuis vermiculatam ; Estenses , Gonzaga , Gaetani aquilas , seu argenteolas , seu nigellas ; Lilia cyanea Farnesij ; aduersos leunculos , cum similagine Frangipanes ; Medicei globulos coloratos ; Sabaudie Principes , aut albatam Crucem , aut equum effrenem ; Sabelli leunculos , auiculam , & florem ; Sfortij leonem , & cydonium pomum ; Vicecomites boam sinuosam , cum pusione mordicis arrepto , ac semeso ; Ursini rosam , & lemniscos puniceos argenteosque . Optimum factu ; & mihi quoque pro ea re aliqua est supellex ; dedique experimentum , in Elogio gentis Carafeæ .

Illud hic obiter insinuauerim ; quoties plures familie appellantur in unam classem , seu sub eadem tessera ; semper salua cuiusvis prærogatiua , à me referri singulas ordine characterum , quos in cognomento priores habent ; ne inter eas , de certamine honoris , lis & difficultas aliqua suboriatur .

Postremò illud sincerissimè profiteor ; consilium non fuisse , omnes Nobilium tesseræ , imò nec nobilissimas quasque in codicem hunc conferre ; sed tantum eas , quæ essent pro methodo eiusdem codicis mei , & quas noti ac domestici alij codices , mihi hæc scribenti substituerent , ad artis exempla , quam prosequerbar .



Mutius Vitellescus, Societatis IESV,  
Præpositus Generalis.

**C**VM Tesseræ Gentilitias P. Siluestri Petrasanctæ Societatis nostræ, duo eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint; ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur; si ita Reuerendiss. D. Vicesgerenti, & Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 17. Aprilis 1636.

Mutius Vitellescus.

Loco ✠ Sigilli.

---

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apost.

*A. T. Episc. Nouarien. Vicesger.*

**G**entilitias Tesseræ, quas P. Siluester Petrasancta Societatis IESV hoc volumine complexus est, iussu Reuerendiss. P. Nicolai Riccardij Sac. Palat. Apost. Magistri, diligenter vidi, nihilq. in eis Catholicæ fidei, aut bonis moribus dissonum animaduerti: quare propter multiplicem, & Italis antea vix cognitam eruditionis varietatem, eas typis dignissimas censeo.

Ego Io: Aloysius Confalonarius Soc. IESV.

*Imprimatur.*

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Apost. Palatij Magist. Ord. Præd.



# TESSERAE GENTILITIAE.

I

*Cur Arma vulgò hæ Icones scutariae  
vocentur. Cap. I.*



**H**ISTIMANT Budaus, & Scriptores alij, ARMA dici ea signa, quæ Aui extulerunt, transmiseruntque ad posteros, & quæ non sunt vnus hominis, vel ætatis, sed familiæ, ac successionis, propterea quod concessa fuerint ab Imperatoribus, & à Regibus, vti præmia bellicæ virtutis. Sic aiunt, Alexandro Macedoni Aristotelem persuasisse, vt distribueret propria insignia, seu vexilla ijs Tribunis, & Centurionibus, qui præ alijs dimicauerant strenuè. Honorem enim cotem esse fortitudinis, non minùs quàm iram, Vir sapientissimus iudicauit.

Equidem cum Philiberto Monetio reor; beneficio Principis, ad memoriam consignandæ, & munerandæ virtutis militaris, collata hæc symbola interdum fuisse; vt per Gentis capita ad posteros hæreditario iure transcriberentur. Siue integrâ, & nouam tesseram, siue insertam veteri scuto iconè recentem illi acciperent, qui monumento eo rectè factorum cohonestarentur. Quin etiam sum alibi ostensus, data nobilissimis familijs, vel à Cæsare Aquilam aduentitiam cum illo schemate, quo S. R. Imperio etiam nunc ancillatur; vel ab Rege Parthenopæo guttatum tiggillum, quo inumbrabantur ipsius lilia; monumentum vtique virtutis, & fidei; qua hi partes Guelphas sunt secuti, & illi partes Gibellinas.

Sedenim cum hæc vera sint; arbitrator nihilominus, Symbola gentili-

tia nūcupari ARMA dumtaxat, quia vt plurimum exprimebantur, circumfererebanturque in militum armis & sagis. Nempe picturas etiam Antiqui tabulas vocarunt; propterea quod in tabulis exarabantur; atque èo ipeçtat vetus adagium? *Apelles post tabulam.*

Subscribit sententiæ huic meæ Tiraquellius, *Insignia*, inquit, *armorum nomine nuncupantur, quoniam plerumq; hæc insignia in armis insculpi, & antiquis & nostris temporibus solebant: vt hinc armati, facie operta, dignoscantur.*

*De nobilit. c. 6.*

Quoniam autem figurabantur plerumque in scutis; idcirco peculiariter Scuta gētilizia nominari capta sunt; fauetquè interpretationi dispositio ipsa figurarum. Cum enim adpingi auiculæ, aut stellulæ, aut rosæ plures debent, maior numerus summo loco; vbi scuti pars laxior est, & magis panditur; minor verò numerus seu monas, medio seu imo loco, vbi arctantur spatia, spectari solet, & obsequi eius materiæ figurationi.

*Qua ratione possint circumscribi Tesserae Gentilitiæ. Cap. II.*



**P**HILIBERTVS Campanile eas esse, ait, insigne vnus, aut plurium figurarum, quæ sine collocatæ in scuto, cum aptitudine, colore, & campo determinato.

*De nobil. famil. Neap.*

Philibertus Monetius, *Gentilis*, inquit, *scuti symbolica tessera, ex colorato, vel sculpto solo, atque ex symbolica imagine, substrato solo adpicta, conflatur.*

*De orig. rei tessar.*

Franciscus Aloyette, Hieronymus

*De nobil. c. 9.*

A

de

## TESSERAE GENTILITIAE.

*In descript. res  
tesser.*

de Bara, & Ioannes Scohier, velut suffragatione communi, signa & notas bellicas putant esse, quæ in acie militem discriminant; darique aiunt à Ducibus, & Magistris militiæ supremis, eoque præmio illos decorari, qui fortiter pro Republica pugnarint.

*Sec. 1. c. 1.*

Ioannes Gulielmus *Arma*, inquit, *sunt signa quædam, instituta ad significandam actionem, aut conditionem deferentis.*

*In Prefatione.*

Marcus Gilbertus Deuarenes ait, esse veluti corpus quoddam, compositum ex figuris exaratis supra fundum, quem appellant campum; atque usurpari cœpisse ob discrimen familiarum.

Vt summam aliquid statuam; arbitror, *Arma hæc symbolica posse circumscribi, Tesseræ gentilitias, expressas idoneo lumine, ad familiarum discrimen pariter, & ornamentum.* Tesseræ appellantur, ut vis cõmunis; & Tesseræ gentilitiæ, ut vis propria earum explicetur. Idoneum lumen comprehendit, seu picta coloribus, & metallis, seu sculpta surdo opere signa, in marmore, ligno, ære. Familiarum discrimen indicat, ea censei gentis, & prosapiæ totius symbolum, transcribique ad posteros; & non minus familias distinguere, quàm viros quosque distinguat proprium nomen; uti censuit Bartholomæus Chassanæus. Denique ornamentum insinuat tacite, signa hæc in primo Auctore bellicam, & Heroicam virtutem non desiderasse; & postulare ideo iure suo, ut exstimulentur posteri ad gloriosam Auorum imitationem. Alioquin, uti cecinit sapienter Lucanus.

*Catal. glor. Mûd.  
concl. 45.*

-- perit omnis in illo

*In Panegy. ad  
Pison.*

*Nobilitas, cuius laus est in origine sola.  
Felix, qui tantis animum natalibus  
æquas;  
Et partem tituli, non summam ponis  
in illis.*

Exprobrant certè quotidie isthæc  
Auorum decora; imbelles posteros  
gestare alienæ virtutis monumenta.

*Inquiritur vetustas Gentilium tessera-  
rum. Cap. III.*




VM in ea Iusti Lipsij sententia, ut credam horum signorum initia ex heroicis temporibus omnino peti debere. Quò

*In Anal. ad Mil.  
Dial. 2. lib. 3.*


id fiat perspicuum, incipio iam peruagari priscam omnem ætatem; & vexilla explico, tum Nationum & Urbium exterarum, tum Romanarum Legionum; mox daturus etiam singularia familiarum, Virorum illustrium, atque Heroum insignia.

Habuerunt Aegyptij pro tessera,



ternas boas sinuosas, & reptiles, adiectaque eis folia palustria: atque adeo fascias totidem, cum inter-

teric-




teriectis numero inæquali quibusdam, seu flammulis, seu vndis; Ætholi Alcidem, & in eius manibus tauri reuulsa cornua; Arcades, aut Pana Deum, aut Lunam; Argiui, aut sui nominis elementum primum, aut

pufione infellum; Athenienses, aut noctuam, aut bouem; Babylonij, aut columbam, in quam crediderant




desijisse, seu defecisse Semiramidem Reginam, aut tribus coronis maxi-



butonem, aut vulpem (quam & Mefsenij gestarunt) aut murem; Armeni aut coronatum leonem, aut arietem; Asiæ populi, cete magnum,





mis insistentes totidem elephantibus. Cappadoces libram, & septenas cru-




culas; Chaldæi tria, vel flabellula,

## TESSERAE GENTILITIAE.




vel vexillula ; Corinthus bimaris

Lybiæ populi lepores ternos; Locræ-  
ses cicadam, & supernè sydus; Lace-  
dæmones aut,  $\Delta$ , aut pugnacem &





Neptunum passis pedibus vtrimque  
mari assidentem, cum Pegaso su-  
peruolante ; Græci duo diademata,

iracundum draconem ; Macedones





& trifidam in medio trabem ; He-  
bræi, T, litteram Salutis ;

clauam Alcidis, gemina inter cor-  
nua; Medi aut fascias lateresque in eis



diremptos, aut coronas tres; Parthi acinacem, cum brachio alato, quod tum; Smyrnæi, ac Theffali equum; Syrij ternas abruptas trabes, sum-



in fulmen desinat; Peloponnesij, aut lymacem, aut testudinem, animantes ambas cicures, & domiportas; Persæ aut auratam aquilam, aut arcum & pharetram; Phryges suem; Scythæ

mam vtrimque, mediam verò infernè pinnatam; imam denique absque pinnis.



Attamen hæ nationes & populi, præter generale vexillum, signa peculiariora quoque habuerint in proprijs, seu Tribubus, seu Legionibus. Exemplum dabo in Hebræorum castris; quando peregrinabundi loca terrarum sola, & inhospita pererrarunt. His forma castrorum erat quadrilatera, etsi haud omnino quadrata; nam anguli eius duo procurrebāt longiùs, & areæ obsequiebantur, in qua situm erat, cum atrio suo, Diuinum Tabernaculum; nempe ipsum Numinis Augustale.

fulmen; Sicyonij, & Græcum elemen-

Ternæ tribus ad Ortum erant, Iuda, Ihsachar, & Zabulon; Ternæ ad Meri-

# TESSERAE GENTILITIAE.

Meridiem Ruben, Simeon, & Gad; ternæ ad Occasû Ephraim, Manasse, & Benjamin; ternæ ad Boream Dan, Aser, ac Nephtali: hoc verò Deus Dux earum ita præceperat, *Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum, castrametabuntur filij Israel, per gyrum tabernaculi fœderis.*


*Numer. c. 2. n. 2.*

*Andr. Masius in c. 6. Iosue v. 9. Villa. in Ezech. 10. 2 p. 2. l. 5. c. 29 Prado in cap. 1. Ezech. p. 14. In lib. Numer. c. 2. v. 3. Martinius Borhaus. Cornel. ep. Bonfver.*

Quoniam autem vexilla quatuor dumtaxat celebrantur, Iudæ, Ruben, Ephraim, & Dan, nam hæ tribus mediæ, vti cæterarum dignissimæ, ad sin gula castrorum latera erant: idcirco putant; vnum & commune dumtaxat, sed veluti triumvirale vexillum, in singulis lateribus eorundem castrorum explicari cõsueuisse.

Colores vexillorum trahuntur ex gemmis bullæ, seu *Rationalis* quod vocant, præpendentis à pectore Pontificis Maximi. Ita vt vexillum Iudæ fuerit viride; cuius vtique nomen in Smaragdo gemma sculptum erat; alterum ipsius Ruben puniceum, ad Sardij speciem; tertium Ephraim aureum, ad iubar Chrysoliti; quartum coloribus candido, & puniceo illusum, ad schema Iaspidis: & si nomen Dan exaratum fuisse in carbunculo, alij opinantur. Sed & figuris insuper vexilla eadem ornant aliqui; & Iudæ tribuunt iconem leo-

nis; iconem hominis Ruben,



Ephraim iconem bouis,



Dan iconem aquilæ colubrum vn-



guibus complexa.

Iudæ congruere leonem, interpretantur; quia ex legato, seu vaticinio parentis, scriptus fuerat, catulus leonis, primogenitus, & rex. Ruben adscribunt iconem hominis; quia caput gentis, ac stirpis fuisset; nisi ob

ince-



incestum parens eum exautorasset ; adiiciuntque alij mandragoras, quas matri puer tulerat de agro. Bouis speciem spectare ad Ephraim existimant; quia visas adesse secundum quietem Ægyptio Tyranno septem boues obefas, totidem graciles, Ioseph in prælagium verterat septennij anno-  
*Ioseph. l. Ant. 12. 6:5*  
 næ, primum copiosæ, ac deinde stertilis: & quia Iosephum Ægyptij, specie vituli, ( sic pingebatur Apis, aut Serapis ) coluerunt. Demum Aquilam, cum arrepto falculis colubro, Dan tribuerunt; quia Coluber appellatus est à parente morituro: & quia superuolante aquila draconem complexa, Rex Lacedæmoniorum litteras obsignauit, quas ad Iudæos, veluti consanguineos, & ad summum eorum Pontificem aliquando scripsit.

Haud me latet, à quibusdam magnopere non probari; placuisse has in vexillo figuras Hebræis, qui ad idololatriam proni, imagines quasque abominabantur. Sed hi erant vultus noti, & quos etiam cælestes genij, seu Cherubini Arcæ custodes, ex Dei præscripto induerunt.

De ipsius Dei vexillo, qui erat horum castrorum dux, satis constat; quia conspicuum in cælo erat; nempe interdiu columna nubis, & noctu columna ignis: lucemque, & umbram castris eisdem prouidè dispensabat.

Vt veniam ad tesseras militiæ Romanæ, quas refero seorsim, ex quadam nominis Romani prærogatiua: prætereo signa, quæ proponebantur causa, vel habendi delectus, vel conflictus ineundi, vel comitia celebrandi: tantum insinuo; Ser-

uium existimasse, semper duo signa militaria fuisse, alterum cyaneum pro Equite, alterum pro Pedite cocineum.

Quamquam Iustus Lipsius non audet subsignare; cum secum animo reputet; à Virgilio, à Cætare, à Livio, à Plutarcho, ab Hirtio, ab Ammiano, vnus semper vexilli mentionem fieri. Quod erat tunica punicea, explicabaturque supra tentorium Imperatoris. Virgilius etiam cecinit singulariter,

*Vt belli signū Laurēti Turnus ab arce  
 Extulit.*

*De mil. Rom. l. 4. dial. 3.  
 Cæs. 2. l. de bell. Gall.  
 Liu. l. 39.  
 Plutar. in Fabio, & Bruto.  
 Hirt. de bell. Hist. Ammian. l. 27.*

*Æn. l.*

Potuit tamen Seruius, eum verum explanans, duo distincta nihilominus Equiti, ac Pediti vexilla tribuere; quia fortasse legerat in Dionysio: *Proposuerunt belli signa, & copias  
 Urbanas conscripserunt.*

*Lib. 8.*

Sed hæc, inquam, prætereo, & venio ad legionum, manipulorum, cohortiumque Romanarum signa.



*Aquila, vt Iosephus loquitur, auium  
 valentissima, victoriæque; habens omen,  
 erat vexillum legionum, & conflaba-  
 tur ex auro, aut ex argento. Iniste-  
 bat verò hastæ in parte ima cuspidatæ,  
 vt posset in terram defigi; tum in castris  
 cessante milite; tum in ipsa pugna, dum  
 acies in loco staret, neque*

Lib. 1. Ann.

que vrgeretur, aut propelleretur ho-  
stis. *Plurimus circa Aquilas labor,*  
inquit Tacitus, *quæ neque figi limosa*  
*humo, neque aduersum ferri ingruentia*  
*tela poterant.*

Lib. 43.

Sæpe etiam altero pede fulmen  
tenebat: ideoque inter prodigia tri-  
stiora Dio recensuit; Aquilam ex  
falculis fulmen abiecit. Quin etiam  
alis cellulam, aut ædiculã sustinebat,



Lib. 4.

Ipsam Aquilæ huius tesserariz  
corpus mole haud fuisse magnum,  
fatis constat: quia Florus alioqui non  
scriberet; Aquiliferum in clade Va-  
riana, eam suo involuisse balteo; ip-  
sum verò delituisse in palude cruen-  
ta; ne Aquila eadem hostes potiren-  
tur. Silius etiam simile consilium al-  
terius Signiferi exprimere videtur,  
qui nimirum in pugna ad Thrasym-  
enum lacum.

Lib. 11.

*Occulere interdum, et terra man-  
dare parabat:*

*Sed subitis victus telis labentia  
membra*

*Prostravit super, atque illesa morte  
tegebat.*

At manipulorum signa quænam  
fuerint, Ovidius descripsit.

In Test.

*Pertica suspensos portabat longa  
maniplos,*


*Vnde manipularis nomina miles habet.*

Vile ac rusticum videri posset tam  
gloriosæ militiæ vexillum;

-- *Sed erat reuerentia fæno,* *Ouid. ibid.*

*Quantam non aquilas cernis habere  
tuas.*

Successit tamen cultus maior, &  
manipulis detractis, sunt eorum loco  
perticis adfixæ manus, cum corollis:



non sine allusione aliqua ad mani-  
puli vocem: vti Iustus Lipsius inter-  
pretatur.

*De Mil. Rom. l. 4.  
Dial. 5.*

Postquam deinde in militiam  
Romanorum sunt adscitæ cohortes:  
hæ pariter cum proprijs vexillis ad  
prælia venerunt; hoc est cum Dra-



conibus; vti Vegetius testatur: &  
fuerunt profectò multi; nam pluri-  
mæ erant in exercitu cohortes.

*Lib. 2. c. 13.*

Sed & Imperator ipse peculiarem  
Draconem suum ex purpura extulit,  
qui est color Imperij, ac maiestatis:

cum



cum Ammianus affirmet, agnitum Iulianum Principem ex purpureo Draconis signo, summæ hastæ longiori aptato. Cæterum Draconarij & Aquiliferi vocabantur, qui signa Draconis vel Aquilæ gestabant.

Plinius recenset etiam inter hæc signa Lupam, quæ lactavit gemellos Urbis Conditores: Vultures qui dederunt auspiciam Urbi condendæ; Minotaurum, Equum, & Aprum: quæ tria postrema signa inprimis sunt Marti apta.

Minotaurus enim, ut opinatur Festus, suadebat, occulta debere esse consilia Ducum; sicuti erat occultum in labyrintho Minotauri antrum. Neque scio, an Iustus Lipsius id meritò respuat, existimans eam fabellam Romanis militibus tunc, ut loquitur ipse, *rusticulis*, minimè innotuisse. Nam esto, ex aratris, & ligonibus Imperatores, & Consules ad administrandam Rempublicam domi forisque petebantur. Poterant nihilominus tritam & vulgarem fabellam nosse ij, qui nouerant populos regere, atque exercitus gubernare.

Equus ipse, non ne proprio iure, ut ita dicam, bello interest? Suomet hinnitu classicum canit; atque, ut est in sacro codice, *odoratur bellum, audit exhortationes Ducum*, iram exhalat, spirat ignem.

Aper usque adeo est Martialis fera, ut hostis loco sit, & cum eo in syluis exerceat se viri militares: dum hiems est, & dum castra feriantur. Quæ res consilium dedit Regibus, & magnis Ducibus fundandi pluri-  
ma, quæ vidi in saltibus Arduennæ, Ascetarum domicilia: nempe ut habe-

rent in promptu mansiones pias, atque innocentes, ad quas diuerterent; dum contra feras, eo tam alieno anni tempore, Martem transferrent, ac se cruore innoxio delectarent.

Apri tamen loco Suem cicurem, inter ea belli signa, Festus posuit; *Quia confecto, inquit, bello, inter quos pax fieret, caesa porca, foedus firmari solebat*. Appianus præterea Quintæ Legioni dedit elephantos; postquam eis opponi belluis illa petierat, easdemque superauerat etiam.

Ad hæc intra orbiculos, seu teretes clypeos, ex bacillis pendulos, gestarunt imagines Romani, tum Deorum, præsertim militarium, Martis videlicet, Mineruæ, Romuli; tum Cæsarum & Principum: quod apud Tacitum leges, & dum vexillarium ait, direptam Galbæ imaginem solo afflixisse; & dum alibi *tua, inquit, Diue Auguste, celo recepta mens, tua, Pater Druse, imago*; tum denique illorum, quorum summa apud eos ipsos Principes foret, vel gratia, vel potentia: atque idcirco munera Syriacis legionibus data fuisse, commemorat Suetonius: quoniam Seiani imaginem, inter signa solæ non coluerant.

Quippe icones horum, sicut & Aquilæ, adorabantur, uti propria legionum numina. *Transgressus Euphratem, inquit Suetonius idem de Artabano, Aquilas, & signa Romana, Caesarumque imagines adorauit*. Qui verò hæc vexilla circumferebant, Imaginarij, vel Imaginiferi vocabantur. Eadem icones aureæ fuerunt, *signa selecti exercitus, inquit Arianus, hoc est legionum Aquilæ, imagines Principum, omnia aurea, extensa in hastis*

*argentatis*. Argentæ prius fuerant, quia color argento clarior est, inquit Plinius, magisque diei similis; & ideo militaribus signis familiarior; quoniam is longius fulget.

Lib. 23.

Sed exarabantur in vexillis quoque ipsa Imperatorum nomina, & aureis quidem characteribus; si Senecæ habenda fides est;

In Thebaida.

-aurea clarum nota

Nomen ducum vexilla prescriptum ferunt.

At putem ego vexillum ipsum fuisse candidi, hoc est, maximè conspicui coloris, ut modò Plinius aiebat; characteres verò puniceos. Fauet & suffragatur Dio, qui de rebus Crassi aduersus Parthos agens; vexillum quoddam, inquit, ex illis magnis, quæ velorum sunt similia, & quæ puniceas litteras inscriptas habent, ad notitiam exercitus, & summi eius Imperatoris, id tale in flumen, ex ponte inuersum decidit.

Lib. 11.

Quin etiam ritus eligendi nouum Imperatorem videtur fuisse, ut nomē eius in vexillis statim perscriberetur. Quoniam Suetonius de appellato ad imperiū Vespasiano, *Affensere*, inquit, *cuncti, nomenque eius in vexillis omnibus sine mora inscripserunt*. Quemadmodum etiam de Virginio Rufo, *Ipsum*, inquit Dio, *Cesarem, & Augustum appellabant; cumque non acquiesceret, militum quispiam uni è signis celeriter hæc inscripsit: nempe & Cæsaris, & Augusti titulos*.


Suet. in Vespas.

Dio in Varrone.

Sed inter signa peditum, quæ recensui, Augustus peculiariter constituisse dicitur pilam, seu sphaeram, quæ vtique Orbem terrarum referret, notaretq. subiectas Imperio Romano regiones.

Isid. lib. 17.

Equitatus ipsius vexilla fuerunt



quadri, & volitantes pannuli, ex hastula suspensi: & hoc nūmi suadent, ac lapides antiqui. Nostra ætas, inquit Lipsius, retinet in equitum bandis, & si forma paululum diuersa. Propius accedunt templorum vexilla, quæ in lustratione, & processibus circumferuntur.

De mil Rom. lib. 4. Dial. 5.

Ab his vexillis (quæ etiam flammæ dicebantur) equitum alæ dictæ sunt vexillationes: *Equitum alæ*, inquit Vegetius, quod protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur: quia velis, hoc est flammulis vtuntur. Nempe flammæum etiam Veteres appellarunt, velum crocei coloris, quo capita obtegebant ad sponsores ituræ nouæ nuptæ. Sed vexillum equestre fuisse pannulum contextum ex purpura, & auro, existimauit Georgius Cedrenus.

Veget. lib. 2. c. 2.

Plinius.

Tandem, ut accedere magis ad rem nostram videar, classes tesserarum duas adhuc proponam, alteram quidem earum, quæ vnus singillatim hominis, alteram illarum, quæ plurium eiusdem, vel ordinis, vel stirpis communes fuerunt.

Gestarunt Adrastus Serpentes vno




annexu in spiras volutos; Agamemnon caput leonis, velut iconem



uicem implexos; Anubis canem; Archimedes caelestem sphaeram;



terroris; Alcibiades Cupidinem, qui complectebatur fulmen; Alexander Magnus aut Victoriā sedentem, ac stabilem, aut equum, fortalsē ipsum Bucephalum, aut lupum; Amphiaraus scutum album & purum; Antiochus leonem cum ca-



Arius Spartanus Rex, infesum ab



aquila draconem; Auentinus Herculis filius Hydram; Augustus Sphingem, sicut & Pyrrhus Rex Epyrotarum; Cadmus draconem; Capaneus militem cum face, & cum lemmate, *Comburam Urbem*; Clearchus Tyrannus aquilam auream,




duceos; aut etiam triangulos tres in-

quam & Osiris habuit; Cupauus filius Cygni Ligurū Regis olorem; Demosthenes Græcam epigraphem;



Eumenus aut Cererem, aut Alexandrum; Etheoclus militem in scala ad murum adposita cum lemmate, *Nec à Marte deiciat*; Hercules leonem securi armatum; Hippomedon iconem hominis, & ad manus, ac pedes eius agmina viperarum; Solem Iosue; Isis Lunam; Lucius Papius Cursor Pegasus; Lycurgus gruem; Mœcenas ranam; Neoptolemus Mineruam; Osiris nunc scptum regium infesum vigili oculo, & præterea nunc aquilam, vt dixi, nunc Solem; Parthenopæus Sphingem, quæ iniurioso pede virum proterat; Perseus Medusæ caput colubris crinitum; Philippus Macedo bigas; Polynices iconem Iustitiæ vittatæ cum libra, & stricto gladio; Pompeus Magnus ensiferū leonem; Seleucus taurum, sicut & Theseus bouem; Semiramis columbā; Theodosius Magnus vexillum inscrip-



tum nomine salutis; Turnus Argum custodem Virginis Io, & Tyberim amnem; Tydæus noctem stellis, lunaque illustrem; Vespasianus Cæsar aut Capricornum, & Mundi spheram, aut iconem Gorgonis; Vlysses Delphinum; VVidekindus Saxonum Regulus equum.


Quoad classem alteram, habuerunt pro cōmuni tessera Alsamonæi



nomen Regis æterni, ac Dei exercituum; nam huic Duci maximo atq; immortalī Machabæi Heroes ex illorum stirpe militarunt; Cadmi po-



steritas serpentem; Carthaginensium  
Duces piscem, ac supernę coronam;



tibiās, inflexo poplite, ocreisque, &  
calcaribus munitas; Persarum Reges,  
aut aquilam auream, aut caput a-



fortasse tanquam maris Domini;  
Cincinnati cirros, seu capillaturam:  
Epyri Reges bicipitem aquilam;  
Galbę Imperatoris prosapia catulum  
in prora navis: Indi Reges terna



prugni, sagittamq; infixam ori eius;  
Phocensium Duces aquilam in tri-



ęnea cymbala; quę ideo fortasse tri-  
buuntur Alexandro Indorum victori;  
Mānię Insulę Reges ternas humanas



pode; Phrygię Reges suam, & ex  
his Rex Phrygię Gordius, atque eius  
posteritas aratrum; Scipionum fa-  
milia rosam; Seleuci posteritas na-  
tium in cute anchoram; Thebarum  
condi-

conditores, & eorum filij, ac nepotes? sicut & familia quædam Spartanorum, in femore natiuam frameam; Torquati Romæ torquem.

Hęc ex Aristhophane, Euripide, Eschylo, Herodoto, Xenophonte, Suetonio, Curtio, Diodoro, Homero, Virgilio, Ouidio, Seneca, Statio, Claudiano, Silio, Lipsio, Heningio, & alijs Scriptoribus deprompta, suadebunt facilè; ad priscam heroum ætatem tesseras gētilitias aliquo modo referri posse. Qui plura desiderāt, aut nostra, aut Typotij Symbola, aut Gorleji dactylothecam adeant.

In *trac. de angulis.*

Certè vltra Imperatoris Friderici, tam Nepotis, quàm Aui, vltra Caroli Magni Damasi Pontificis, & Hispanici belli contra Saracenos tempora, vel cum Gothi, Hunni, VVandali, Prouincias Europæ varias, atque pulcherrimas barbara dominatione, ac Regno feroci tenuerunt; imò vltra Imperium Augusti eundem reor: vt harum tesserarum vestigia prima inueniantur.

Possem in medium adferre, aut Virgiliū de Auentino Herculis filio,  
*-clypeoque insigne Parentis,  
 Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram.*

Lib. 7. *Æn.*

Aut Ouidium,

*Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra:*

Lib. 7. *Metam.*

*Cum Pater in capulo gladij cognouit eburno*

*Signa sui generis.*

Aut Senecam,

*Regale paruis asperum signis ebur  
 Capulo refulget, gentis Aethæ decus.*

In *Hippolyto.*

Sunt enim hęc signa generis, signa parentis, gentis decus, hoc est insignia familię, ac successionis. Atta-

men quia dicere quis posset, isthęc fingi à Poëtis, ad commendationem æui sui, atque antiquitati consecrari recens inuentum: quemadmodum Virgilius fingit, celebratos fuisse ab Ænæa, eiusque socijs Circenses ludos, ante Urbem conditam. Facturum idcirco me operę pretium duco; si promam veriora, & firmiora. Sum autem ea fiducia, vt prouocare primum ad naturam ipsam audeam: cui pudor erit, opinor, velle refragari.

Quid enim? ab ea ipsa natura natiuam cuspidem in femore acceperunt, tum ij, qui orti sunt ex Thebarum conditoribus; tum alij, qui erant apud Thebanos ex profapia quorundam Spartanorum. Neque in hac re preludere tantum arti natura visa est: sed dum Seleuco, eiusque posteris adpinxit in cute anchoram, hac enimuerò sententiam nostram, ne fluctuanti similis maneat, egregiè firmavit.

*Iustin. l. 15.  
 Dio Chrysostr.  
 or. 4.*

Vt ab historijs dein subsidia petā; Gordius ex Agricola Rex Phrygię pro suo, & familię schemate aratrum retinuit; postquam ex funibus illius nodum composuerat; quem postea gladio expediens Alexander Magnus, oraculum aut impleuit, aut elusit.

*Gulielm.  
 Benedictus  
 Iurisc.*

Ad hęc Scipionum insigne fuit Rosa: & idcirco is, qui Carthaginem debellauit, iussit milites octauę legionis (nam hi Urbem inimicā ante alios inuaserāt) secum Romę triumphare cum Rosa Imperatoris flore: neq; manus militum vnquam aliàs hilariùs, aut innocentiùs rubuerunt.

*Frontinus.*

Vt nihil dicam de veteri signo profapię Imperatoris Galbæ; hoc est de catello, & prora nauis; Imperator

rator

Dio.  
Suet. in Calig.

rator Caligula dicitur vetera familiarum insignia nobili cuique ademisse, Torquato torquem, Cincinnato crinem. Nisi hæc autem existimentur signa ea gentilitia, quæ non sunt vnius viri vel ætatis, sed generis & successionis: quænam illa demum erunt? Quia verò torques & cincinni, statuæ vel imagines non erant; quis vel tenuiter eruditus ita id interpretetur, quasi Suetonius diceret, nobili cuique ademptas veterum imagines?

Scripseram hæc; cum venere in manus meas VVolfangi Latzj Commentarij, & ex eis deprehendi, sententiam hanc meam satis admodum confirmari. Refero ipsa eius verba. *Quemadmodum incitamenta virtutis, inquit, Romanis in pace quedam domiq. fuerat: ita foris in bellis stimuli ad res præclare gerendas maiores erant. Dona scilicet militaria, prudenti ratione primum excogitata, & deinceps cum Imperio ita inuenta, ut quot quisque stipendia fecisset; quot coronas & quales meruisset, quot armillas, cristasque, quot torques, quales phaleras, hastas puras, pila, baltheum; hæc omnia supra clypeum, & galeam apposita, in bellis gestari solita, cum pacis munia iterum foueret, domum regressus optimus quisque suspenderet; eaque ornamentorum, siue insignium loco, longa successione ad posteritatem transmitteret. Ut postquam inclinante Imperio, Marcomanni, Sueui, Boij, Franci, Gothi, Heruli Romanarum legionum reliquijs, in limitibus Danubij, & Rheni mixti accesserunt: quemadmodum linguam confusam fecerunt; ita populum etiam perfecerint quendam, qui Romanorum, Teutonumque ritus, & mores coniunxerit. Ex quibus non in postremis Arma Gentilitia putandum*

est processisse, eaque hodie vulgò gentilitia lingua VVappas, siue Cancellariorum vocabulo clenodia, atque insignia vocantur. Quorum usum quondam Romana in Republica non minus, atque hodie extitisse, mihi monumentorum sculpture veterum persuaserunt. Sic ipse.

An tessera gentilitia originem habuerint ex Veterum imaginibus.

Cap. IV.



VSPICATURVS pulcherrimam, sed difficillimam questionem de harum tesserarum origine, expendam prius

quidnam alij senserint de illa, scripserint: mox aliqua præmittam, ut struere viam possim ijs, quæ in hac re postremò, tam generatim, quam particulatim subdam.

Cum hæ icones tesserarum sint certissima, & propria quædam signa germanæ, atque auitæ nobilitatis; propterea existimarunt aliqui, originem eis datam ex veterum imaginibus: quæ olim solis concessæ nobilibus, seruabantur in atrijs & armarijs, & comitabatur funera: semperque aderat, ut Plinij verbis utar, defuncto aliquo totus familia eius, qui unquam fuerat, populus. Lib. 35. c. 2.

Sedenim hæ quidem erant ceræ, ideoque ferri poterant in funeris pompa; atque adeo ceræ dicebantur: ut in Iuuenalis aurea illa sententia;

Tota licet veteres exornent undique ceræ Satyr. 8.

Atria; nobilitas sola est, atque unica virtus.

Aliæ verò erant marmoreæ, aut ex metallo; numerusque earum Romæ alte-

Comm. Reip.  
Rom. lib. 2. c. 13.

Tull. orat. in Pi-  
son.  
Plin. epist. ad  
Fab.  
Sueton. in Vesp.  
Iuuenalis Persius

alterum à ciuibus populū repræsen-  
tabat. Fumosa quæ forent, nobilita-  
tem antiquam; nouam contra subita  
recentesque significabant. Ignobiles  
item gens obscura & sine imagini-  
bus, homines noui, filij terræ, ac fra-  
tres Gigantum, quos terra genuerat,  
appellabantur.

Non moror in his explicandis;  
tantum in sinu, Budæum, Philiber-  
tum Campanile, & Scriptores alios  
existimasse, gentilitia symbola fami-  
liarum; ex antedictis veterum ima-  
ginibus nata esse.

Dissentit Iustus Lipsius vel ideo;  
quia quique ignauissimi hæc insi-  
gnia, iudice ipso, vsurpant, & multi,  
quibus nulla, aut Auorum, aut pro-  
pria est nobilitas. Mihi tamen hæc ra-  
tio haud satis firma videtur: etenim  
fatendum est, plerasque has gentilitias  
tesseras nihilominus esse argumentū  
veræ nobilitatis. Videlicet insignia  
perduellium comminuuntur; quia  
infamia tanti criminis lucem profa-  
piæ omnem extinguit. Quotquot  
viri nobiles etiam diem vitæ postre-  
mum obeunt, absque congeneri hæ-  
rede, totidem cum insignibus pro-  
prijs; quasi illud sit funus gentis vni-  
uersæ, tumulatur. Sed & litem inten-  
tare, ac vocare in ius licet illos, qui  
insignia efferunt aliena: cum id ve-  
luti quoddam furtum honoris esse  
videatur.

Quocirca ex alio capite reor minus  
congruè ab veterum imaginibus peti  
originem tesserarum gentilitiarum:  
nimirum quia simul Romæ vtraque  
diu manserunt: Torquati enim, &  
Cincinnati, simul Auorum statuas,  
simul eorum stemmata, hoc est tor-  
quem illi, & hi crinem, retinuerunt;

tamquam duo distincta nobilitatis  
propriæ monumenta.

Erat verò discrimen, quod statuar  
domi tantum, alia insignia foris  
quoque, & in bello præcipuè, vsui  
essent. Postquam deinde imaginum  
exoleuit vsus; sola hæc manserunt  
insignia, vtpote magis parabilia, &  
quæ domi forisque ex æquo assu-  
mi, ac circumferri poterant.

*An originem habuerint ex Augusti  
Regia, & Romanis castris.*

*Cap. V.*



X tessera Augusti pro-  
diisse gentiles hos ty-  
pos, censuit Philiber-  
tus Monerius: refert  
verò ea Isidori verba:

*Pilam in signo constituisse fertur Au-  
gustus, propter Nationes cuncto in Or-  
be sibi subiectas; ut eas magis figura  
Orbis ostenderet: atque hic est idem  
ille mundi globus, qui hodieque in  
numismatis Augusti, cum Capri-  
corno, & gubernaculo spectatur.*

*De origine rei  
tesseraria c. 3.  
Etymol. l. 28. c. 3.*

Eundem coloribus, & metallis  
varijs illudum, legionarios tulisse ad  
expeditiones bellicas, credit Phil-  
bertus Monerius, variante scuti a-  
rea. Ita ut auratam hanc aream ha-  
buerint Vindices auxiliares in Nero-  
nis principatu; argenteam quinta  
legio Macedonica ab Augusto in-  
stituta; puniceam Falconarij Sicali,  
Honoriani felices, ac Daci legiona-  
rij; cyaneam sagittarij iuniores se-  
nioresque, & Marcomanni: prasi-  
nam armigeri defensores seniores;  
Molochinam Asturij seniores auxi-  
liares: fuvam denique Honoriani  
iuniores cetrati.

Cum



Cum verò plurimus, & locuples sit in ijs recensendis; parmulas in legionarijs eisdem reperit ab summo, ab latere, ab dextro, atque ab læuo angulo in semissem diremptas; item sæpius intercisas, & lemniscatas, exaratasque palis, fascijs, balteis. Imò nec excipit quadrarias tesseras, nec rhombos, nec fusos tesserarios. Interpretatur verò, datum hoc laudi fuisse Matronis Romanis; ut quæcumque lino, lana, plagulis, ad vsum rei domesticæ, parabant, ea ex opificio muliebri, ob commendationem frugalitatis animi, ad scuta militum, atque ad Ducum vexilla transferrentur; fusumque ideo, & colum, seu oblitam lino, seu vacuam; acum item, & radios textiles exprimi tessellis oxigonijs arbitratum.

Equidem amo, & complector hanc rerum pulcherrimarum varietatem: sed mihi videor posse subueniri, ne dissentiant multi. Tum quia grãdiore supercilio decora hæc militaria metiuntur: quàm ut patiantur, ex his pleraque, ceteroqui mascula & heroica, exigi ad fœminarum fufum & colum, ad plagularum textum, atque ad lanæ carminationem. Tum etiam quia signa legionum alia proposuimus, peræque donea, ad gentilium tesserarum originem asserendam. Dabimus deinde peculiariter Aquilam bicipitem, cum diuerso schemate coloris ac metalli, tum in suomet corpore, tum in area scuti; in qua C. Mario, Iulio Cæsari, Gn. Pompeo, & Octauiano Augusto militauit: & constabit facillè; multò æquius ex illa posse trahi originem harum gentilium tesserarum.

*De veteri usu colorum in vestibus, præsertim domi, seu in urbano cultu, Cap. V l.*



**N**NCIPIO ea præmittere, quæ necessaria mihi videntur, ut definiam; quid in hac disceptatione sit sentiendum. Non digredior ad mulierum delicias, & ad stolas earum; etsi auro, & gemmis rigentes, uti ad palam; etsi sumptuosas, & basilicas, uti ad regillam; etsi raras, & splendidas, uti ad rallam. Multò minùs habitus comicos proferam: cuiusmodi erant tunica scissilis, catatiſte, epizostris, nebris, exomis, parabaculus, seleogis, lithus, & lagebulum. Heroica enim, & illustria, non ludicra, aut effœminata sectantur.

Pudet etiam, vestium materiem commemorare, quàm inducere luxus cœpit, postquam pelles, lanam, & linum didicit fastidire. Nec enim de infirmi sexus amiculis tantùm dici potuit,

*Fœmineum lucet sic per bombycina* Marr.  
corpus;

Sed virorum quoque ea vestis tenuis, & translucida erat, propter tædia æstiuæ: *intantum*, inquit Plinius, *à lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes.* Eadem prohibeæ Tacitus lib. 2. aliquandiu, propter pretium excedens, (cum exigeret libra serici libram auri, auroque fila pensarentur) viluere nihilominus; quemadmodum & aurum; quod pariter esse vestis sensim cœpit; nequicquam id prohibente Aureliano Principe;

C dum

dum quereretur, per bractearum & filorum liquationes, auri usum interire.

Formam insuper vestium fusiùs non descripsero; sed insinuauero dumtaxat genera earum præcipua. Stola, mulierum plerùmque, sed interdùm etiam virorum indumentum, ad talos demittebatur: atque ad extremam eius oram, instar limbi, assuebatur instita.

Tunica, substricta & breuis initiò, laxior euasit demùm & longior: adeò vt debuerit cingulo castigari, siue, vt Tertullianus loquitur, suspendi.

Toga ea erat laxitate, vt videretur sarcina veriùs, quàm vestis: atque oneraret potiùs, quàm tegetet. Pacis artes, & studia comitabatur: sed nonnunquam rebus publicis togæ plus nocuerunt, quàm loricae. Fœminarum quoq; amiculum olim fuerat toga; postea in pœnam & probam illis dari cœpta est, quæ fuissent adulterij compertæ: eoque spectat illud;

*Coccina famose donas, et ianthina  
mæcha:*

*Vis mage, quam meruit, mittere?  
mitte togam.*

Pallium & quadrangulum erat, & ab utroque laterum regestum, ceruicibusque circumstrictum, in fibulae morsu acquiescebat: atque erat habitus plenus discipline grauitatisq; adeo vt solo prauos mores silentio redarguere crederetur. *Purulentias Ciuitatis, inquit Tertullianus, quis eliciet, et euaporabit; ni sermo palliatus? sermone, inquit, me suasisti, medicamine sapientissimo. Verùm etsi eloquium quiescat, ipse habitus sonat.*

*Sic denique auditur Philosophus, dum videtur: de occurso meo vitia suffundo.*

Clamys ea erat forma, vt ad eius modum normamque, Architecti dederint Alexandro Magno descriptionem Alexandriae; orbe nimirum gyrato laciniosa, atque anguloso procurfu, ab dextera læuaque. Iam his, aut prætermisissis, aut leuiter adumbratis, venio ad colorum usum in vestibus, domi atque in urbano cultu.

Ex colore croceo libet exordiri, quoniam affinis est auro. Byssus genus lini flauis, ac tenuissimi; crocota, seu vestis croco infusa, & cuius infectores Crocotarij dicebantur; Flammea, quibus capita obtegebant nouæ nuptæ, dum ad sponsi thalamum intrarent, argumento esse possunt, Plinio iudice; colori croceo seu luteo honorem antiquissimum fuisse.

At luxus eo contentus diu non fuit, demùmque auro ipso splenduit: quo prisca Romanorum Duces vsi verecundiùs, tantùm in veste triumphali aurum textile miscuerunt. Donec vestem omninò auream primus induit, fatiscente Imperio, & morum iam facta inclinatione, Aurelianus Princeps. Idem adiunxit pretiosos lapillos, non dicam cum Tertulliano, idoneos tantùm, vt ædificent mulierum stuporem; sed aptos vt destruunt laudem omnem famamque hominis frugi.

Fœminis lex Oppia inhibuerat, ne in vestibus plus auri semiuncia haberent: nihilominus, edente Numa machiam Claudio Principe, scribit Plinius, ab se visam Agrippinam eius

*De Pallio.*

*Martial.*

*Tertull de Pallio  
circa fin.*

*Plinius.*

*Plin l. 8. c. 48.  
Victor. in Astruc.*

*Tertull. de hab.  
mulier.*

eius conjugem cum paludamento, quod erat ex textili auro.

Tandem aurea vestis esse Regis propria incœpit; & decuit sanè, vt qui hominum est quasi Sol, fulgeret inter homines Solis instar; quia Sol vicissim syderum est quasi Rex. Discat interim Rex, non posse occulta esse, quęcumque agit: dum videt, se totum, vt ita dicam, revelari splendore auri: atque adeo agnoscat, sibi perpetuò demonstrari luce illa vestitium; quantopere indigeat Respublica Rege aureo.

Ad hæc supremo Urbis Præfecto, sicut & Senatori eiusdem Urbis, conceditur toga aurea, & par Regum, in vestis eo lumine, maiestas.

Ceterum liber hortari omnes, quotquot aureo amiciuntur panno, vt semper inuoluant eo gemmeos mores, veramq; virtutem: quia profectò

*Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.*

Proxima dignitas videtur candidę vestis, quia simile argento est lumen eius. Qui Romę supremum honorem petebant, candidati apparebant; vt se puros à sordibus comitorum esse, & ab omni ambitu, ea coloris innocentia, testarentur.

Præsides aq̄uitatis ornauit idem albus color, eoq; vsi sunt Athenienses, Plateenses, & Romani Iudices: atque ad hos fortasse potest referri fausta illa acclamatio;

*Vivat & urbanis albus in officijs.*

Lintex atque albę vestes inluper spectarunt semper in omni æuo ad Sacrorum Antistites: vt dixerit propterea M. Tullius: *color albus præcipuè decorus Deo, tum in ceteris, tum maxi-*

*mè in textili: Non enim fas est, inquit Plato, pura Deorum Numina contaminatis & impuris rebus coli.*

Toga item pura, quę fuit coloris candidi, vtebantur tyrones, & nouę nuptę: item in puerili etate omnes ingenui; Consules etiam, Prætores, Aediles, Quęstores, ac demũ Tribuni, & Cęturiones; ex quo tempore ijs concessa fuit ab Augusto prætexta, & Senatoria dignitas; inter ciuiliu bella, vt interpretatur Iustus Lipsius; quando nimirum omnia immodica erant, & pleraque iniusta.

Porro ipsam prætextam albam fuisse, non autem purpuream, vt quidam perperã senserunt, satis constat: quia Lilius hæc duo distinguit; *dona, inquit, ampla data, quę ferrent Regi; vasa aurea, argenteaque, togaque purpurea, & toga prætexta.*

Cum verò hæc vocetur à Plutarcho *περιπλοκῶτος*, & cum prætexere apud Latinos idem sit, atque extremam oram tegere, seu circumornare; existimandum est; prætextam in limbo tantum purpuram habuisse, cetera fuisse candidam.

Heroum quoque indumentum, fuit alba vestis: nec aliter induitur à Statio Amphiarus.

*Ipse habitu niueus, niuei dant colla iugales,*

*Concolor est albis, & cassis, & infula cristis.*

Fuit & Regum amictus candidus, laneoque habitu Ægypti Rex Nectenabo Ætiopum excepit, ad se missum ab Rege Babylonię; iussis adesse magistratibus pariter in veste alba: & cum hi post die purpurei splenduerint, solus ipse mansit candidatus.

Sed patuit maximè albi coloris di-

*Plut. in 1. Os.*

*Appian. lib. 5.*

*Lib. 6, Theb.*

*In vita Aesopi.*

*Aristoph. Plutarch.*

*Martial.*

*3. de leg.*

gnitas, olim in Regum diademate, quod natura ferme instituit, ut albū esset: nam in Regis apum fronte *macula est, ut loquitur Plinius, quodā diademate candicans, & de basilisco serpentum Rege, Cyrenaica, inquit, hunc generat Prouincia, candida in capite macula, ut quodam diademate insignem.*

Lib. 1. c. 6.

Plutarch.

Val. Max. lib. 2.  
c. 2.  
Ammia. Marcell.  
lib. 17.

Candida certè fuit fascia, quam Tigranes proiecit ad Pompei Magni pedes; ut significaret, se Regnum suum ponere in illius potestate; ac de candida fascia, qua idem Pompeius, regendi vulneris causa, crus obligauerat; non refert, inquit Fauonius, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cauillatione regias eius vires exprobrans, atque insinuans, nihil admōdū interesse, quam corporis partem redimiret regiae Maiestatis insigne, in viro magnæ fortune, & quo nec fortior, nec prudentior in Patria quisquam erat.

Suet. in Iulio.

Sed & Pompei æmulo Iulio Cæsari perindè inuidiam creauit fascia candida, præligata coronæ laureæ simulacri eius. Quam ideo Tribuni plebis detrahi, ac tolli mandarunt; quia in Ciue glorioso, ac summæ potentiae, videbatur odiosa ea res, & prorsus inimica libertati.

Plutar. in Corio.  
lan.

Alioqui vni ex Metellis, cum nec adeò esset potens, nec tantoperè fortuna eius metui deberet, adsimilis fascia, qua accinctus frontem propter vulnus diu fuerat, citra inuidiam affectati Regni, peperit cognomen *Diademati.*

Iulius Pollux in  
Onomast.

Rubeus color debet honoratissimus cenferi, propter Auctoris famā: nam inuentor purpuræ Hercules habitus est. Quamquam is, ut alia mōstra, ita exiguum pisciculum, & cum

eo luxum, utique monstrum non impar aut Hydræ, aut Leoni Nemeæo, æquius multò sustulisset. Quid enim? purpura ad argentum appensa ei rependebatur, eiusque & margaritarum paria fuerunt aliquando pretia. Nihilominus quanta fuerit eius copia in diuitum armarijs, Horatius insinuat his versibus;

Athenæus  
Plinius.

Epist. ad Numid.

-- *clamydes Lucullus, ut aiunt, Si posset centū scenæ præbere, rogatus; Qui possum tot, ait: tamen & quarum, & quot habebo Mittam: post paulò scribit, sibi millia quinque Esse domi clamydum: partem, vel tolleret omnes.*

Et hæ erant ex purpura, qui fuit clamydis color, uti exponunt interpretes.

Memorabilis quoque vis eius, Susis ab Alexandro captis, reperta est: nempe Hermionice purpuræ quinquaginta millia talenta, reposita ibi à bis centum annis, cum recenti admodum coloris flore; quem in tam longa ætate aiunt non defecisse: quoniam ex melle fuerat infectura eius.

Plutar. in Alex.

Sedenim abusus officere colori pulcherrimo non debet: nam purpura aut cocco imbutæ vestes, fuerunt semper supremorum ordinum, & summi Magistratus apud Romanos. Eo quippe lumine fulsit latus clauus; tunica videlicet propria Curiae, seu ordinis Senatorij. Quæ ideo resecta, & cadens fortè ad Augusti pedes, dū is togam virilem sumeret, visa est prælagire, futurum aliquando; ut Ordo, cuius illa erat insigne, Augusto eidem subijceretur. Ceterum nomen latus clauus habuit à purpureis nodis, qui referebant capita clauorum, Senatoriæque

Sueton. in Aug.

roriæque tunicæ assuebantur; siue vnus, siue plures essent; atque iisdem Senator à Patritio, & ab Equite discriminari solebat. Neque hi purpurei nodi erant intexti, aut impressi; sed additij, atque exemptiles in modum fibulæ; quæ vestem simul ornare, atque adstringere videretur. Id autem ex eo conijcere sit, quod Vlpianus Iureconsultus clauos eosdem, & aureos, & purpureos definierit partem esse vestimentorum, & censerî cum ipsa veste legata. Dixi aureos, & purpureos; quia ex auro etiam ccepti sunt fieri, & fuit necesse, vt Tacitus Imperator, vestibus auro clauatis interdiceret.

Sed cum præterea Vlpianus, inter ornamenta vestium aduentitia, præter clauos, accenseat insitas eis picturas; ex hoc pariter conijcere sit, qualis nam toga picta fuerit; quæ solos Consules, & insuper Prætorem in ludis dumtaxat Megalensibus, ornabat; nam hic aliàs prætexta utebatur. Erat verò tantæ dignationis, vt acciperetur ex ipso Iouis templo; ex quo factum est, vt Iuuenalis eam Iouis tunicam appellauerit. Eadem fuit pretiosius tincta, hoc est dibapha: cuius vtique libram Plinius affirmat emi non potuisse denarijs mille.

Insitæ illi picturæ ex auro videntur fuisse, Iuuenalis

*Et latum picta vestis considerat aurum.*

Statuere non possum tamen, quænam picturæ in ea spectarentur.

Tunica palmata, non à clauorum latitudine palmari, vt opinatur Festus; sed à palmæ ramis, ex textili

auro, dibaphæ impressis, aut inferis, vocabulum accepit: & lato clauo, togaque picta eò fuit dignior, quòd solius Consulis in pace, solius supremi Ducis in triumpho, indumentum esset: cum toga picta etiam Prætori, latus clauus cuiilibet Senatorum concederetur.

Cinctus Gabinus ex purpura etiã ipse fuit, eratque toga, ita in tergum reiecta, vt vna eius lacinia, à tergo item reducta, hominem cingeret. Ea verò solus Consul amiciebatur, quoties bellum indiceret; obtinuitque superstitione, atque incepit; quia dum Gabij sacris operarentur, nunciatum est hostes ingruere: Ciuēs verò ab aris ad aciē progressi; ita vt erant accincti togis, memorabilem victoriam reportarunt.

Vt generatim loquar, vestis purpurea, seu coccinea Romæ Senatū diu ab Equite, & à Plebe distinxit; Martialis

*Diuisit nostras purpura vestra togas.*

Sensim tamen descendit ad Equitem in trabea; nam Equites trabeatos Tacitus, & Valerius Maximus vocarunt. Seruius autem triplex genus trabæ considerans, primum ex sola purpura Dijs consecrat; alterum ex purpura quidem, sed cum albo miscellaneo, tribuit Regibus; & tertium ex purpura, & cocco ait fuisse indumentum Augurale.

Imò descendit adhuc magis, nempe ab Equite ad Plebem, teste Iuuenale;

*Aequales habitus illi, similemque videbis*

*Orchestra, et) Populum.*

Propria ceterò qui Regum, & summo-

*Cassiod. l. 6. ep. 1.  
Sueton. in Claud.  
c. 17.*

*Seruius l. 7. Eia.*

*Tacit. l. 3.  
Val. Max. l. 2. c. 1.*

*Satyr. 3.*

*L. сит анти.*

*Popif. in Tacite.*

*L. сит анти.*

summorum Principum purpura est, ac semper fuit: nam ij sanguinis pœnam exigere à reis possunt: eaque alioqui necessitas, vel ipsimet Neroni dura visa est, dum esse bonus potuit; quia rogatus, vt subscriberet sententiæ vnus fontis, desiderauit nunquam litteras didicisse. Dura, inquam, est ea necessitas, sed consentanea tuendę iustitiæ, ac sanandę improbitati; cuius medicinam utique pœnam esse, Plato sapienter pronunciauit. lubentur itaque Reges, & supremi Magistratus; quotquot in omnes corporis sui partes, diffusam purpuram vident, meminisse perpetuò; legum se vindices esse, & custodes probitatis. Nisi malint admoneri pòtius conditionis cuiusdam excellentioris; fundendum nimirum sanguinem, & vitam consecrandam esse pro salute populorum, exemplo dixerim Codri, an Christi Regis æterni?

Certè dandi, quàm hauriendi sanguinis, videtur honestior, in milite etiam, professio: atque ideo ibit in sæcula Boëmūdus Guiscardi Apuliæ Ducis filius, ac Princeps Tarenti. Quoniam deliberata expeditione sacra, & scissis ac diremptis in tæniolas coccineis duabus vestibus, cruces confecit, assuitque eas sagulis duodecim millium bellatorum: quò nimirum admonerentur, ptoprium vnicuique sanguinem esse profundendum, pro Regionis Sanctæ liberatione.

Sed & sacer atque augustissimus Senatus Ecclesiæ Romanæ, ab Innocentio IV. Lugduni (quando is Federico II. Cæsari diem dixit) causiam puniceam primùm accepit; vt

eo colore defensionem Ecclesiæ ad sanguinem vique profiteretur. Verùm ad colores alios pergo.

Vsum cyanei coloris tam frequentem in vestibus non reperiò: nisi sceminarum aliquandò in luctu Romæ, vt alibi dicam: Iuuenalis tamen in versu illo.

*Cerulea indutus, scutulata, et gal-* Sat. 2.  
*bana rafa,*

insinuare videtur, haud omnino inter vestes eum desiderari consueuisse.

Cæterùm Hebræi olim ferre iussi sunt vittas hiacynthinas ad angulos palliorum; vt memores Cœli, hoc est Dei, eiusque legis perpetuò essent. Refero ipsum præceptum. *Dixit Dominus ad Moysen; loquere filiis Israel, et dices ad eos; vt faciant sibi simbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hiacynthinas. Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini: nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes.* S. Hieronymus verò ait, aliquos ex eis religiosiores addidisse limbo huic cæruleo sentes & spinas; vt ambulantes, inquit, per earum puncturam legis diuinæ semper admonerentur.

Saltem inter nationes alias placuisse hunc ceteroqui gratissimum colorem, & fuisse tesseram prosapiæ clarioris, nullus dubito. Nam Gelonos, quos appellat Virgilius pictos, Herodotus ait, solitos tingi pigmentis cæruleis; & eò quidem liberaliùs, quò singuli magis nobilitate præstarent.

Cæsar etiam scribit; nobiliores Britannos infici consueuisse glasto; diceret congruè ad schema circumfusi

*Suet in Nerone.*

*Num. c. 15. v. 35*

*In c. 23. Matth.*

fusi maris : nam ex glasto exprimebatur cyaneus color . Si autem ad corpora vultusque ; cur non ad vestes etiam eum colorem transtulerint ?

Viridem colorem pariter infrequentem video ; cum terræ tamen pulchritudinem vestiât : saltem est insigne Sacrorum Antistitum : nam ignorat nemo , Episcopis dari causiam coloris prasini , & ei esse alterum à purpura decus .

Violacei coloris est ea dignitas , vt propter affinitatem cum purpura rubenti , mereatur purpuræ nomen ; & interdum nequeas , apud Scriptores satis distinguere , de ianthina loquantur , an de ostrina purpura ; dum vestem purpuream nominant .

Quia verò est simul modestiæ , simul dignitatis plenus hic color ; ideò vela ianthina Arcam Dei olim exornarunt ; atque adeò Cleri proprius color fuit , inter primos atque antiquissimos Christianos ; hodièque retinetur in talaribus indumentis familiarium Romani Pontificis ; Præsulesque Urbis maiori ex parte eo inornantur .

Rarior in vestibus color niger olim fuit , quippe aspersus superstitione mali infausi ; ominis . Idcirco M. Tullius in Vaticanum ; *Cui de balneis exeunti , præter te , inquit , toga pulla nunquam data est ? cum tot hominum millia accumberent ; cum ipse epuli Dominus Q. Arius albatuſſet ; tu in templum Castoris , te cum C. Fidulo atrato , ceterisque tuis furijs funestum intulisti .* Sed saltem apparet , aliquando veste nigra vsos Romæ viros nobiles : & si ominosum videbatur in templis , aut in epulis , vertari cum eo colore luctuoso .

Plebs autem lacerna , seu penula nigra passim utebatur ; & ideò pullata turba , pullati eius circuli dicebantur . Martialis .

*Roma magis fuscis vestitur , Gallia ruffis ,*

*Et placet hic pueris , militibusq. color .*

Macrinus verò dicitur parasse populo penulas coloris rosei , hoc est pro pullis rubras ei tribuere lacernas deliberasse ; vt dubitare non liceat , quin vulgi atru fuerit indumentum .

Superest iam , vt varios colores in vna veste disquiramus : ex eo genere autem primò sit scutulata vestis . Galliam instituisse ait Plinius , vt colores vestium Romæ scutulis diuiderent . A scuto autem scutulæ dicuntur , & ideò Plinius loquens de castibus araneorum , earum rete scutulatum appellauit . Cum item Liuius scutale nuncupauerit partem illam fundæ , quæ sit plagularum textu , & tilicem continet , vibratque : ex his Plinij , ac Liuij locutionibus conijcere possumus ; scutulatam togam eam fuisse , quæ fiebat ressellato , & vermiculato contextu .

Diodorus , agens de his Gallorum sagulis , scutulas eiusmodi nuncupauit laterculos . Sed & Vitruuius frustra marmorum , in pavementis rotunda , scutulas dixit : Palladius verò scutulatum colorem in equis eum nuncupauit , qui vulgò à pomis nomen habet , & ferme poma refert .

Vestes itaq ; alternantes colorem quibusdam maculis aut rotundis , aut quadratis , aut oblongis , erant scutulatæ . Ita ex Iuuenali illud paulò altiùs referebam ,

*Cerulea indutus scutulatus , aut galbana rafa .*

Atque

Alex ab Alex.  
lib. 5 c. 18.

Atque hæc sanè id meruere honoris: ut numerarentur inter triumphales togas.

Virgatæ vestes Gallis auctoribus perinde tribuuntur: ita de illis ipsis, qui inuaserunt Romanam arcem, Virgilius.

Alex. lib.

*Virgatis lucent sagulis.*

Et de Chrixo Boiorum Duce, cui dat à Brenno stirpem Silius Italicus;

*Auro virgatæ vestes, tunicaque rigebant*

*Ex auro.*

Nec aliter describitur à Propertio Gallorum Rex Virdomarus;

*Illi virgatis iaculantis ab inguine brachis*

*Torquis ab incisa decidit vna gula.*

Apuà Seruiam.

Ceterum Iulius Pollux, *virgata* inquit, *vestis, in qua intexebantur virgæ purpureæ, hoc est lineæ*: Hermolaus Grammaticus autem censet eas vestes fuisse omninò purpureas, affirmatq; idiomate Gallico *virgam*, olim idè ac *purpuram* fuisse; sed de auro Virgilius, & Silius Italicus loqui videntur.

Saltem eas fuisse vestes lemniscis colorum dissimiliù contextas, instar virgarum, dubitare non poterit is, qui meminerit; propterea tigris, tum à Silio, tum a Seneca *virgatas* appellari.

Harum vestium vsus percrebuit tantopere, præsertim ex quo tempore patuerunt Alpes aduentui in Italiã Regū barbarorum: ut necesse fuerit Ecclesiastica sanctione Clero eas detrahere: nec enim modestiæ piorum virorum cõsentaneæ illæ videbãtur.

Segmentatæ vestes etquænam fuerint, non vno modo Scriptores

explicant. Probus in eum Iuuenalis versiculum.

*Segmenta, & longos habitus, & flammua sumit.* Sat. 2.

Ait, auri argentique bracteolas instar fasciolarum, recto ordine insui solitas, ad vestium extremã orã, vestesq; purpureas eo ornatu instructas, appellari à Plauto *segmentatas*;

Alij opinantur potiùs ita vocari monilia, torques, & armillas; quoniam conflantur è segmentis auri, argentique. Sed hi abeunt à re vestitaria; ad quam spectare ornamenta hæc *segmentata* insinuant, non Ouidius modò in eo versu,

*Quid de veste loquar? non iam segmenta requiro.* Lib. 3. de Arte.

Sed etiam Valerius Maximus: nam cum in historia Coriolani dixisset, *Senatus Matronarum ordinem benignissimis decretis adornauit*; addit inter multa; *permisit quoque his purpurea veste, & aureis uti segmentis*, hoc est purpurea veste, cum annexu bracteolarum ex auro, argentoque.

Nec putem magnoperè ab his differre vestem nexilem; cuius fuit vsus vetustior, quàm textilium indumentorum; & hoc alserit Lucretius eo versiculo;

*Nexilis ante fuit vestis, quàm textile tegmen.*

Et nexili habitu hodieque amiciuntur Heluetij Romæ, qui custodes sunt Romani Pontificis.

Synthesim ijs addo; sed non ea significatione vocabulum hoc accipio, qua vestiarij supellex vniuersa interdum exprimebatur.

At *synthesim* pro veste sumo, quæ cum sit infecta diuersis lanarum coloribus, multitia ideo, tum à Tertullia-

*Tertull. de pallio.*

Clem. 2. de vit.  
& honest. Cler.



ulliano, tum à Vopisco nominatur.

*Epist. in A. Dre-  
liano.*

Fuisse hanc vestem domesticam, & cœnatoriam, satis insinuat Martialis in Zoilum :

*Undecies una surrexti, Zoile, cœna:*

*Et mutata tibi Synthesis undecies.*

Miror tamen, eam vile indumentum cenferi, tum à Lazaro Bayfio, tum à Cælio Rodigino; cū & Equitum, & Senatorum, & lautiorum virorum esset: vt propterea Martialis dixerit


*Synthesibus dum gaudet Eques, Domini-  
minusque Senatus.*

Sed Synthesi foris vti non licebat, nisi quinque diebus Saturnalium; nam, vt dixi, domestica erat: arguebaturque propterea Nero leuitatis; quoniam Synthesi, extra Saturnalia, indueretur.

*Suet. in Nerone.*

*De colorum usu in ludis Circensibus.*

*Cap. VII.*



TABVNT in acie rursus Partes, sopitæ tot iam tranquillis annis; sed placidæ, atque amantes pacis: nec tam ad certamen, quàm ad spectaculum venient cum insignibus suis.

Olim colores duo, albus & rufseus Hiemi, atq; Æstati dicati erant: mox totidem alij accesserunt; nec eadem tamen apud scriptores illorū est significatio. Tertullianus cum dixisset, *Aurigis coloribus Idololatriam vestiu-  
erunt, & ab initio duo soli fuerunt albus, & rufseus: albus hiemi ob  
nives candidas, rufseus æstati ob solis ru-  
borem voti erant, ostendit, quam  
ratione aucti fuerint, vel voluptate,  
vel superstitione prouecta; nam ad-*

*Lib. de Spect. c. 9.*

dit; *Marti rufseum alij, alij album  
Zephyris consecrauerunt; prasinū Terra  
matri, vel Verno; venetum (Cælo, &)  
Mari, vel Autumno.*

Calliodorus spectasse eos colores Lib. 3. Epist. 77 putat solū ad quatuor anni tempora: *Colores, inquit, in vicem temporum quadrifaria diuisione funduntur: prasinus, virenti Verno; venetus nubila Hiemi; roseus Æstati flammæ; albus pruinoso Autumno dicatus est: vt quasi per duodecim signa digrediens annus, integer signaretur, & natura mysteria spectaculorum composita imaginatione luderentur.*

In tragicis perinde ludis Chorus gradens, primò ab dextra in læuam, motum Cæli ab ortu in occasum per strophem; remeans in dextram ab læua, conuersionem errantium siderum ab occasu in ortum per antistrophem; & demùm quiescens per epodon, terræ ipsius libramentum perpetuum representabat.

Referunt eos alij tantummodo ad quatuor prima mundi corpora. *Romulus, inquit Cedrenus, imposuit, partibus ista nomina; Terra viride & porraceum; Mari venetum, quia aque sunt caruleæ; igni rufseum, & Aeri album: atque idem leges in Chronico Alexandrino, in Isidoro, & alijs*

Quod ad rem nostram facit, quatuor fuisse in Circensibus Partes, & totidem earum colores, dubitari non potest. Sextus Rufus ideo in nona Urbis regione, vbi fuit Circus Flaminius: quatuor stabula earundem Partium collocavit. Albus color quis fuerit, nemo ignorare potest. Rufseum alij Roseum vocant; eundem esse tamen, nec à rosa eum dici, constat ex illis Corippi versibus, &

*In lib. de Region. Urbis.*

ex prima eius syllaba producta;

*Roseus aestati, rubra sic veste reful-*  
*gens,*

*Vt nonnulla rubent ardenti poma*  
*colore.*

Prasinum vocarunt viridem colo-  
rem, quasi porraceum, vt insinuauit  
Cedrenus: quia Græcè *πρασινόν*; por-  
rum sonat. Venetum esse cœruleum  
constat: quia Heliogabalus, qui ha-  
rū partium colores ad æstiuas men-  
sas suas transferebat, & ad schema  
earum quotidie apparatus triclinij  
variabat; pisces dicitur apponi aliter  
non permisisse, quàm coctos in ma-  
rina aqua, & cum conditura veneta;  
vt loquitur Lâpridius. Vegetius etiã  
nauis exploratorias exigit eo instru-  
ctu, vt illarum nauæ induantur  
veste veneta, & vela insuper colore  
veneto tingantur.

Et si tamen ij ordinarij colores  
Circensium fuerunt, quos enumerat  
scsq̄ hendecasyllabo Sidonius A-  
pollinaris;

--micant colores

*Albus, & venetus, virens, ru-*  
*bensque.*

Fit mentio etiã nonnulla tùm co-  
loris crocei seu lutei, tùm coloris  
purpurei. *Russeos aestati currere volue-*  
*runt,* inquit Iudorus, *albos hiemi, &*  
*Zephyris; Veri prasinus, & floribus;*  
*venetos aqua; Marti luteos; & croceos*  
*igni, & Soli; purpureos Iridi.* Quæ  
Iudori verba expendens Bulingerus  
luteos, croceos, purpureos pro rus-  
seis debere accipi, arbitratur; affir-  
mans quatuor tantùm colores in  
Circo fuisse.

Equidem eos distingui prorsùs  
reor, & senos aliquando fuisse: quia  
Domitianum duas Circensibus gre-

gum factiones, aurati nimirum pur-  
pureique panni, ad pristinas addi-  
disse, in cōperto est: & de purpureo  
peculiariter Martialis meminit;

*Proficies nihil, hoc cedas licet usque*  
*flagello;*

*Si tibi purpureo de grege currit*  
*equus.*

Haud diuturni tamen ij colores  
fuerunt; mansitque prior Circen-  
sium apparatus: certè coloris purpu-  
rei, à Tiberio sublato, est mentio  
apud Cedrenum, qui *cum ageretur,*  
inquit, *natalis Circi, & partes fer-*  
*rent vestes canaliculatas purpureas,*  
*& clamides Imperatoris assimilés, Ti-*  
*berius vetuit, ne eas ferrent.*

Color niger vnicus est, quem non  
admiserè olim ludi, & Partes; nam  
lata, & picta amœniùs ad cersamen  
veniebant.

Si verò quispiam sciscitetur; in  
aurigis, an in curru, an in equis ij  
colores spectarentur? aio ea omnia  
colorata in Circū prodijisse; Aurigas  
quidem, quia *Nero,* inquit Xiphili-  
nus, *agitabat indutus vestē viridē, &*  
*galea amigantium tectus.* Peculiariter  
verò illud aduertere sit; fuisse in  
Circensibus aurigarum proprium  
quoddam tegmen, instar galeæ, &  
id confirmat clarè Athenæus, dum  
agitatores, inquit, *petaso, vel galea*  
*alba, viridi, russea, veneta inuicem*  
*distinguebantur.* Deinde currus ipsi, vt  
tradit Xiphilinus, coloribus & pan-  
nis distincti erant: postremò equi  
pariter prodibant eo schemate; ideo-  
que aliquos eorum albatos Plinius

At quamuis, vt dixi, quaterni in  
Circo essent ordinarij colores, & to-  
tidem Partes, seu factiones; duæ dum-  
taxat

Lib. 1. de color.  
Circens.

Lâprid. in  
Heliog.

L. 2. de re mil.

In hendecaf.

Suet. in Domit.  
c. 7.

Lib. 14. ep. 55.

Cedren. in Tiber.  
Influn.

Xiphil. in Neron;  
Ep. in Heliog.

Lib. 8. c. 42.

taxat frequentius recenseri solent, velut præcipuæ: prasina videlicet, cui alba plerumq; iungebatur; & veneta, cui iungebatur russea.

Cedrenus de Romulo, *coniūxit album, inquit, cum viridi, idest aerem cum terra; quia inter se misceri, ac temperari utraque debent: item russeum subiunxit cæruleo; quia igni aqua superposita est.*

Id verò causæ fuit, cur Antoninus Imperator prasinam, & venetam dumtaxat enumerauerit: & cur Principes Romæ dicantur factioni aut prasinae, aut venetae fauisse.

*Caligula, inquit Dio, bene animatus erat in eum, qui viridi panno uteretur, qui & à colore Prasinus dicebatur. Imo eò amentia demū venit; ut in stabulo cœnarit, manseritque assidue; atque adeò Incitato equo suo equile marmoreum, prælepe eburneum struxerit: sed & appellato ad prandiū eidem equo inauratum hordeum apposuerit; propinauerit vinum in aureis pateris; promiseritque etiam fore, ut aliquando eum Consullem crearet. Putem, postquā populū Romanū omnem sustulisset securi; si (quod optabat) vnam ceruicem habuisset: dignus enim erò, qui in stabuli regia brutis solūm imperaret.*

Neronem perinde fauisse colori prasino, cum quo & aurigauit, ut diximus; Suetonius affirmat; & idem insinuat quoque Martialis eo epigrammate:

*Sapius ad palmam prasinus, post facta Neronis,*

*Peruenit, & victor premia plura refert.*

*I nunc liuor edax; dic te cessisse Neroni:*

*Vicit nimirum non Nero, sed Prasinus.*

Verus Imperator, Volucris equo prasino fauit tantopere, ut dicauerit ei simulacrum aureū; sed & passus à veneta factione dicitur iniurias graues, quòd turpissimè, inquit Capitolinus, contra eos faueret.

Huic factioni venetae studijs maximis adhæsit Vitellius, iubens eos perimi, qui eidem obrectarant; fuerintque illius perstudiosi adhuc alij: cum essent Principes viri, qui in veneta veste saepe equos fricarent, ut loquitur Xiphilinus.

Nihilominus etsi diuisa erant, & Principum, & plebis studia, propensio maior videtur fuisse erga prasinum. Conijectio id tūm ex Calliodoro, qui transit, inquit, prasinus, pars populi mæret; præcedit venetus, & potior turba Ciuitatis affligitur; tum verò clariùs ex Iuuenale;

*Totam hodie Romam Circus capit,*

*& fragor aurem*

*Percutit; euentum viridis quo colligo panni.*

Exarserunt verò hæc studia partium ad reprehensionem vsque. Caracalla, cum in aurigam, cui studebat, cauillatus esset populus, exercitum immisit, & pœnas exegit. In seditione Circi maxima sub Hippatio ceciderunt ad tricena & quinque viroꝝ millia; ita ut agrè Imperator Belisarius ex tumultu eriperit.

Nec Romæ tantum, ac dein Constantinopoli; sed per vniuersam Orientem Prasini, & Veneti, se mutuis cædibus prostrauerunt, præluseruntque infaustis nominibus, Guelphorum, & Gibellinorum, Alborum, Nigrorumque, qui pariter Europam,

D 2 atque

*Sueton. in Calig. c. 55. Dio. p. 446.*

*In Ner. c. 22.*

*Lib. 11. epig. 34.*

*Capitol. in Vero.*

*In Vitellio.*

*Lib. 3. ep. 52.*

*Satyr. 11.*

*Iul. Cæs. Buling.*

*Paul. Diae. lib. 4. his, Longob.*

atque Italiam imprimis, lætuosum  
in modum lacerauerunt .

*De colorum usu in bellicis expeditionibus . Cap. V III .*



**X**ORDIAR à rubro colore, qui solus cum sanguine Martisore similitudinem, aut affinitatem habet .

Plinius ait, coccum dicatum fuisse Imperatorum paludamento, seu clamydi eorum: cuius forma terram habitatam referebat; eratque, uti explicat Strabo, extremis longitudinis utrimque angustis, latioribus imis: quasi terram, quam regebat, Imperator ipse indueret, atque humero sustentaret. Figuram eius proponit Iustus Lipsius, ex antiquorum lapidum monumentis. Varro autem clamydem eandem paludamentum dici putat; quia qui illa induitur, conspicuus redditur, & palam fieri videtur.

Sed & lictores quoque ad bella ibant paludati. Silius Italicus, describens conflictum Varronis Consulis, hoc aperte asserit;

*Isque ut Varronem procul inter  
prælia vidit,*

*Et iuxta sagulo circumuolitare ru-  
benti*

*Lictorem: nosco pompam, atque  
insignia nosco.*

*Flaminius modò talis, ait.*

Constat præterea, paludatos fuisse Tribunos, Centuriones, & milites; cum minore tamen panni luce, vel gloria, quàm Imperator ipse. Si dubites de milite gregario, in promptu est tum Lucilij versus;

*Ponè paludatus stabat Rorarius velox;*  
tum Liuij auctoritas, qui de vxore  
vnius ex Curiatij trigenis cæsis,  
cognito, inquit, *super humero fratris,  
paludamento Sponsi, quod ipsa confecerat.*

Videbatur itaque exercitus vniuersus rubere, atque in purpura esse Marti cõsanguinea: eratq; discrimẽ, ut dixi, tantũ in panni pretio, aut in eius coloris præstantia. Ceteroqui frustra de Tribuno militum Decio scripsisset idem Liuius. *Hæc omnia sagulo gregali amictus, Centurionibus item, manipularium militum habitu ductis, ne Ducem circumire hostes notarent, perlustrauit.*

Fuisse autem plerumque in Ducũ clamyde, aut paludamento rubeum colorem existimo; nec apud Romanos modò, verùm apud externos etiã. Plutarchus ideo licuisse ait Eumeni causas purpureas, & clamydes largiri, quæ à Macedonibus habebantur inter regia dona (& has obiter causas Budæus credit posse aptè transferri ad Cardinalium coccineos galeros.)

Coccinea igitur fuerit Alexandri Magni clamys illa, cum qua Gn: Pompeus de Asia triumphauit, post annos circiter trecentos. Et fuerit profectò læta ea species; quia Pompeus non rebus gestis tantum, sed vultu quoque habebatur simillimus Alexandro: & ideo L. Philippus, vir Consularis, dum in causa quapiam ei patrocinaretur, dixit lepidè ab se absurdum nihil agi; si cū esset Philippus, Alexandrum complecteretur.

Ne mirum autem sit, Alexandri clamydem ferre potuisse eam ætatẽ, refero Plinij testimonium, qui asseruerat:

*Strabo lib. 8.*

*Lib. 6. de L. L.*

*Lib. 9.*

*Lib. 1.*

*Lib. 7.*

*In Emera.*

uerat; Seruij Tullij prætextas man-  
fisse annis quingentis sexaginta, ab-  
que teredinum damno, vel iniuria.

Cum autem & abollam idem  
Martialis, & lenam Virgilius Tyrias,  
& Horatius gauſape purpureum vo-  
carint: has etiã veltes militares fuiſ-  
ſe rubentes, manifestum videtur.  
Quamquam gauſape à Iuuenale lu-  
teum etiam appellatur; & hoc duplex  
vſui erat, nempe amphimallum, atq;  
heteromallum: hoc est ab vtraque,  
aut ab vna tantùm parte villos ha-  
bens: ex cuius vſu miles gauſapatus,  
aut gauſapinatus dictus est.

Quin etiam gauſape militum in  
Castris lectus erat. Plinius, *antiquis*,  
inquit, *torus è stramento erat, qualiter*  
*nunc etiam in castris gauſape*: haud  
ſanè duro accubitu: quia hæ amphi-  
tapæ, villis ingentibus molles, à Lu-  
cilio, & cum pluma, & cum quouis  
cubili deliciarum comparantur.  
Varro autem affirmat, volupe fuiſſe  
reclinari, ac dormire in amphitapa  
bene molli,

Ad hæc Spartani rubro indumen-  
to etiam ipſi vtebantur in prælijs; eo  
nimirum conſilio; ne vulnerati, af-  
pectu ſanguinis, quem tegebãt pan-  
no concolori, expaueherent, atque  
hoſti cedere cogentur.

Sed frequens albus color etiam  
in ſagulis militum fuit, & videtur  
certatim cū rubro ad prælia concur-  
riſſe. Plutarchus, *vix rubra*, inquit,  
*ſagula conſpicati ſunt, quòd regiæ par-*  
*tis omnes albis vterentur, agnouerunt*  
*ſtatim hoſtes eſſe*. Hirtius quoque de  
Scipione Africano: *cum ſagulo pur-*  
*pureo inquit, ante aduentum Regis*  
*vti ſolitus eſſet; dicitur Iuba cum eo*  
*egiſſe; non oportere illum eodem veſtitu*

*vti, atque ipſe vteretur. Itaque fa-*  
*ctum eſt illicò, vt Scipio ſe ad album*  
*veſtitum transferret.*

Alioquin pro arbitrato, modò  
albati, & modò purpurati in bello  
erant: nam lego in Valerio Maxi-  
mo de Craſſo; *Ducturus erat à Carris*  
*aduſſus Parthos, ei pullum traditum*  
*eſt paludamentum: cum in prælium*  
*exeuntibus album, & purpureum dari*  
*ſoleat.*

Ceterùm & ſi pulla ea veſtis Ro-  
mani Ducis omen triſte habuit; qua-  
ſi funus legionũ Romanarum præ-  
ſagiret; ſaltè omine caruit Demetrij  
Polyorçetis clamys, colore nigro  
ſublucens, & picta inſtar noctis, in  
qua cælũ aureis ſtellis, ſignisq; duo-  
denis exornatum pulchrè ab ipſo,  
velut ab Atlante, aut ab Hercule  
aliquo, circumferebatur.

Vt ad exercitus redeã; Artaxerſis,  
& Cyri minoris copiæ, illius quidẽ  
cum puniceis, huius verò cum albis  
ſagulis depugnauerunt: & ſi Cyrus  
maior, Cleomenes, & Ageſilaus,  
puniceo pãno militem ſuum ad præ-  
lia inornarunt. Boij, & Inſubres, &  
Antiochi milites vſi ſunt auratis ſa-  
gulis; purpuratis Perſæ, Afri, Caunij,  
Numidæ, Maſſagetæ; Galli eiſdem,  
aut virgatis, aut ſcutulatis; diſcolo-  
ribus Samnites; Æthiopes aut lin-  
tea, & alba veſte amiciebantur, aut  
corpora inſciebant dimidia minio,  
dimidia gypſo; quo etiam gypſo  
tùm corpora, tüm arma Phocenſes  
tinxerunt. Britãni glaſto; pullo co-  
lore Thraces, & Arij Germaniæ po-  
puli. Sicut etiam in Barſtetania  
Strabo, ait, maiorem partem, ſagis  
illitis colore nigro vſos eſſe. Quo-  
circa non coloribus minùs, quàm

armis

Satyr. 6.

Lib. 8. c. 48.

Bib. 1.

Lib. 1. c. 6.

Plut. in Demetr.

Xenoph. in Pe-  
dag.

Cyrl. l. 6. c. 7.

Herod. l. 8. Plin. l.

33. c. 7.

Plut. in Artax. in

Aemilio in C.

Gracco.

Liu. l. 7. c. 10.

Caſ. l. 5. Comm.

Aelia. lib. 6. c. 6.

Tac. de mor Ger.

Valer. Max. l. 2.

c. 1.

Virg. 3. Aene.

Silius lib. 3.

armis olim exercitus maximi certarunt.

*An ex Circensium agmine discolori originem habuerint tessera gentilitia.*

Cap. I X.



**P**LVRIVM vestium supellex, quam exposui, & quam in magnos usus pro re presenti, sicuti reor, substitui oculis contemplandam, fortasse aliquos inducet in eam persuasionem: ut quia tessera nostrae gentilitiae censetur, ad discrimen factionum praesertim, usurpari cepisse; existiment ideo ex factionibus Circensium eas primum natas esse.

*De orig. rei tesserae.*

Dissentit quidem Philibertus Monetius: quia humiles tantum, & viles greges in eis lusisse affirmat: ut plurimum enim, aut serui, aut liberti, aut aduenae fuerunt aurigae atque agitatores Circensium.

*In suis Institut.*

Dissentiret quoque Theophilus, qui aurigas eisdem infames non minus, quam scenicos & gladiatores, appellavit. Certè Alexander Severus scenicos & aurigas censuit alendos esse, sicuti seruos & muliones: atque Ammianus Marcellinus *famosos vocat, audentesque omnia praecenter*. Ita verò esse, satis manifestè ostendit Tertullianus; *Quadrigarios, inquit, scenicos, xysticos, arenarios dānant ignominia, & capitis minutione, arcentes Curia, Rostris, Senatu, Equite, ceterisque; honoribus omnibus simul, & ornamentis. Quanta peruersitas? amant, quos multant; depretiant, quos prohibent; artem magnificant, artificem notant*. Atque adeò in eos armantur leges ipsae,

*Lamprid. in Alex.*

*Amm. l. 23.*

*Tert. l. de Spect.*

quà humanae, quà sacrae: siquidem in legum humanarum Codice, appellantur *inhonestae personae*: in actis verò Concilij Arelatensis sanctio hæc habetur. *De Circissarijs agitatoribus, qui fideles sunt, placuit eos, quandiu agitant, à communione remoueri*.

*L. 11. C. l. 40. l. 4.*

*In Conc. Arelat.*

Sed dum hæc adferuntur in mediū; sanè verendum videtur, ne patefactis carceribus rursus earundem factionum agmina prodeant in arenam, sui que panni nobilitatem tueantur. Equidem si patrocinium sumptero; ipsis à legum censura non metuo.

Quid enim? Ulpianus *Agitatores*, inquit, *non sunt inter famulos*; & alibi de iisdem pronuntiatur, *Aurigae non sunt infames*: Quinimo in illos, si quid peccassent in Circo, animaduertere, tanquam in humiles personas, & vulgi quisquillas, non poterat Praefectus Urbis; extatque de ea re lex in hæc verba, *Praefectus Urbis eos, qui agitandi munus exercent, propter Circense certamen, nullis afficiat supplicijs*.

*L. 4. de his, qui not. infam. d. de his, qui not. infam. l. Athletas.*

*L. 11. C. l. 41. l. 3.*

Quòd deinde cætu piorum arcerentur; non aurigis tantum, sed quibuslibet Christianis spectatoribus ea poena intentari debuit, metu superstitionis, aut idololatriæ. Ideoque promulgari oportuit Pontificiam illam Constitutionem: *Qui spectat venationes, aut Circenses, eijciatur; aut ludis vale dicat*: plerumque enim dicati alicui Deorum erant: atque eò spectat, quod Alexander Severus aiebat; ingenuum currere, nisi in sacro certamine, non debere; insinuans sacros dijs interdum fuisse eos ludos, & religionem habuisse: proinde Christianos interuenire, piaculum credebatur.

*Clem. l. 8. constit.*

*Lamprid. in Alex.*

Ceterum Principes ipsos, & florem

rem nobilitatis in ijs ludis aurigare solitos in comperto est. Cum Sylla victor Circentes daret, Antonius, & viri honestissimi quadrigas agitarunt. In eisdem editis à Iulio Cæsare, depugnauit Furius Leptinus stirpe Prætoria, & Q. Calpenus, Senator quondam. Pyrrhicam verò saltauerunt Asiæ, Bithyniæque Principum liberi. Quin etiam spatio Circi ab vtraque parte producto, & in gyrum Euryppo addito, quadrigas, bigasque, & equos defultorios agitarunt nobilissimi iuuenes.

Peræquè Augustus ipse in Circo aurigas, cursoresque, & confectores ferarum, nonnumquam ex nobilissima iuuentute produxit. Dicitur etiam Caligula edidisse Circentes plurimos, à mane vtiq; ad vesperam, interiecta modò Africanarum venatione, modò Troiæ decursione, minio & chryfocolla cõtrato Circo; nec vllis, nisi ex Senatorio ordine, aurigantibus. Nerone Principe inierunt Circum Equites, & Senatores; & ipsemet Nero aliquoties aurigauit, modò vsus pallio Græco, modò pallio prasino, & modò panno concolori ipsimet Circo, quem constrauerat chryfocolla.

Imperator Heliogabalus, & Imperator Commodus cum prasino ornatu etiam ipsi currus agitarunt. Nec Romæ tantum, sed in annos consequentes Constantinopoli, & alibi, Equites, Senatores, a seclæ Principum, & Principes ipsi quadrigarij fuerunt.

Quæ omnia sunt profectò abundè, vt Circentibus indignitatè quantamuis adimant, & vt asserant honorem panni; si ex eo hausti accep-

tique colores rei nostræ tesserariæ viderentur. Præterquamquod Virgilius haud satis prudenter Aenææ Heroi maximo, & Socijs Circentes tribuisset; si eos ludos else rem indecoram existimalset.

Cum autè Hiemis, Veris, Aestatis, Autumni, Terræque, Oceani, Ignis, & Aëris significationem habuerint colores Circentium: & cum accedente ijs croceo, & purpureo panno factum sit, vt si colorem atrū excipias, nullum colorem desideres ex his, quibus tessera gentilitiæ tinguntur: posset ideò quis ita ratiocinari.

Studia partium incensissima, dum hi prasino, illi veneto fauent panno, sensim rem à prælio ludrico ad verū certamen adduxerunt; pugnatumque in theatris, quàm in Campis fuit sæpenumero asperius. Tūc verò fingamus eos, qui sectabantur factiones iam cruentas, in acie stetitisse, non panno instructos amplius, sed munitos ferro. Vt constaret tamen de discrimine partium; panni colorem ex veste, in loricam clypeumque eos transtulisse.

Quamquam hæc asserui, non vt euincam tesseras nostrates ex Circentibus ortas omnino esse (haud enim id magnopere vrgeo) sed vt in re simillima præludam sententiæ, quam puto satis probabilem, & cuius necessaria quædam hactenus præstruere me oportuit fundamenta.

Padianus.

Suet. in Iul. Cæs.

Suet. in Aug.

Suet. in Calig.

Xiphil. in Ner.

Plin. lib. 33.

Xiphil. in eisdem Cæsaribus.

*Ex vestium ornatu petitur origo gentilitium tesserarum.*

Cap. X.



OMANOS milites in aciem venisse cum paludamentis, dixi, aut rubris, aut albis: insinuavi etiam Artaxerxis, & Cyri minoris copias, quemadmodum & alios quosque nationum exercitus, non coloribus minus, quam armis pugnasse. Iam scire oportet, eas vestes concolores militibus, vel à Duce ipso, vel à Republica dari consuevisse: atque eò spectat lex C. Gracchi, de vestibus aere publico distribuendis cuique militum, absque stipendij eius damno, vel diminutione.

*Plut. in C. Grac. co.*

Porrò cum id esset Reipublicæ oneri magno, propter sumptus nimirum excedentes; quod satis insinuavit T. Livius referens, tanquam graue tributum; togas quingentas, cum quingentis tunicis fuisse imperatas, pro milite in hibernis: idcirco cessare ab eo instituto sensim etià oportuit: tum verò colores, ne omnino deessent ad exercitus distinguendos, translati saltem ad clypeos fuerunt.

*Dacat. 4. lib. 7.*

Ita prisca Germani dicuntur pro clypeis gestasse fucatas colore tabulas, easque ornasse lectissimis coloribus: quandoquidem circa vestes summo erant neglectu: nempe, ut loquitur Cornelius Tacitus, *nudi, aut sagulis leues, & sine ulla cultus iactatione: utpotè quibus tegmen erat sagum fibula, vel si hæc deesset, spina confectum.*

*Tac. de morib. Germ.*

Dein Christianorum sacris expeditionibus signa socialia fuerunt,

Cruces coloratæ. Suscepto enim bello contra Saladinum, ex Clementis III. Pontificis adhortatione, ad discrimen militum suorum, Rex Galliarum cruces rubeas; albas Rex Britannia; prasinas Flandriae Comes assumpserunt: habentque tot alij Equestris militiæ ordines nobilissimi hodieque proprii schematis cruces, quæ sunt in prælijs iam loco vestium concolorum.

Ceteri, quotquot militiæ se deuouerunt, gestant in balteis saltem, & cingulis, tesseras Principum, aut Ducum, sub quibus merent. Quippe balteo, aut cingulo vtuntur cyaneo Austriaci, Bavarique; albo Galli; albo, & cyaneo Britanni; puniceo Belgæ, qui militant Hispano Regi; (nam hic fuit color domus Burgundicæ) alij Belgæ confœderati, hoc est Bataui, fuluo aut subrufo.

Verum cum hæc socialia, & communia sint insignia; propius accedo ad gentilitias tesseras: ut eas ex vestibus potissimum acceptas fuisse ostendam.

Philostratus ait, Herculem in clypeo habuisse duo hæc lumina, seu pigmenta: nempe aureum, atque purpureum. Cur non putem, hæc manasse à schemate indumentii eius, partim aurei ob fului Leonis pellem, qua tegebatur; partim purpurei: cum sit verisimile, simul purpura usum Herculem, siquidem fuerat purpuræ inuentor?

*In vita Apollon.*

Nicia scutum etiam auro fulgebatur, & purpura; & vestes illius fortasse eo utroque erant contextæ licio, extra aciem, atque in urbane cultu.

*Plut. in Nicia.*

Ne tamen ex ingenio proprio hæc videar comminisci; prouoco ad



ad Alexandrū Seuerū. Etenim apud Scriptorē aliquem sanè haud ignobilem legi, eū Imperatorem amiciri albo, & croceo panno in principatu cōsueuisse: vt polliceretur, se populis Imperij Romani fore beneficum, Solis instar, atque instar Lunę. Quoties verò exeundum in prælia erat, toties iussisse, vt milites Prætoriani, ac legionarij reliqui ex suomet amictu, transferrēt ad scuta colores illos, croceum nimirum atque album; quò ita omnes ad argumentū Principis armarentur.

Perinde alij Duces, ac nobiles Viri & se, & suos assecclas in prælia eduxerint, cū clypeis fucatis colore vestium suarum: quādoquidem ferum induere loco panni oportuerat: clypei deinde ita expicti, manserunt ad familiæ decus; & cum stirpe ad nepotes, veluti generis tessera, immigrauerunt.

Certè insignia primū fuisse in vestibus, suadent multa. Quid enim? Julius Cæsar de se ipso accelerasse, ait se, vt prælio interesset, suumque aduentum ex colore vestiū cognitum: quo insigni vti in prælijs consueuerat. En proprium schema Iulij Cæsaris in vestibus fuit.

Alexander Magnus conspicuus in prælijs fiebat ex regio habitu; Siculo nimirum amictu, thorace lineo, ferrea casside duplici, auratisque ac gemmatis armis, clypeo verò argenteo; ex quo Argyraspis est appellatus.

Sic Alexander Seuerus, vocatus Chryspis ex clypeo aureo, cum quo in acie fulsit ad illius amulationem; habitu cetero erat albus: atque ita saltem eos duos colores,

quos dixi, croceum albumque, teste Lampridio ad bella efferebat.

Lucullus pugnavit cum amictu purpureo, & thorace squameo. *Plut. in Lucullo.*

Pyrrhus Rex clamys armisque spectabilis, cū in cōflictu animaduerteteret, se vnum vndique iaculis Romanorum peti; propria vestium insignia cuiuspiam ex amicis tradidit: tutiusque, aut saltem securius, dissimulato habitu, in hostes Romanos impetum fecit. *Plut. in Pyrrho.*

Cū constet itaque, viros Principes vestibus vfos esse, colorum schemate proprio exornatis: poterint ij, quando prodire in aciem cataphracti solebant, inficere clypeos eius colore panni, quo in ornatu domestico amiciebantur: vt nobiles hoc pacto essent; hoc est, vt à suis agnoscerentur. Itaq; peculiare parmulae tesserae, quotquot illuxerunt asso vel coloris, vel metalli lumine, totidem ab vnius panni, vniusue schematis indumento prodierunt.

Bicolores alia peti poterunt ex panno vestium bicolori: præsertim ea, quæ sunt dimidia vnius, & dimidia alterius luminis. Cuiusmodi fuisse Magnatum & Principum indumenta, dubitauerit solum is, qui priscos vsus rerum tantum à lumine salutauerit.

Sed & plurimæ antiquæ Vrbes, atq; Respublicæ etiam nunc famulos seu Templorum, seu Magistratuū vestiūt bicolori amictu, nempe ad vetus schema, atq; ad argumentū Ciuitatis. Amiciūtur enim aut dimidij ex prasino, dimidij ex veneto; aut aliter colores binos in vno eodemq; habitu assuere consueuerunt.

Quadripartitas parmulas gentili-

Frontinus.

Cornel. de bell. Gall. lib. 7.

Plut. in Alex.

Lamprid. in Alex. Seuer.

tias dederint pariter vestes quadri-  
fariam pictæ: & harum specimen  
crebrum videas, in tabulis veterum,  
seu Urbium, seu Templorum; si vel  
Sacrarum horum adeas, vel illarum  
inuiskas prætoria.

Virgatæ parmulae, & lemniscis  
aut rectis, aut transuersis, aut obli-  
quis exaratae; ex vestibus aut virga-  
tis, aut segmentatis, aut nexilibus;  
sicut & illuxæ plurifariam ex Syn-  
thesibus, fuerint acceptæ.

Scutulatae item parmulae gentili-  
tiae, hoc est tessellis, aut quadris, aut  
acutangulis; oblongis item latercu-  
lis, falsisque tesserariis impressæ; ob-  
orta fuerint ex vestibus scutulatis;  
atque ex coloratis earum tesserulis,  
laterculisue.

Has verò esse nobilissimas, & per-  
antiquas, inter gentilitia insignia  
Nobilium, suadebit priscus in ve-  
stibus aut virgarum, aut scutula-  
rum usus. Imò vestigium earum  
multò ante aduentum Gallorum in  
Italiam reperi equidem in Homero  
ipso; qui utique in Agamemnonis  
clypeo pinxit semitas & vias, nem-  
pe coloratas tœnias fasciasque, exa-  
ratas instar plurium semitarum aut  
viarum. Sed & scutum Sarpedonis,  
continuis virgis aureis, quasi splen-  
didis lemniscis, exornauit.

Has certè scutarias vittas amplexi  
sunt auide, obliquas quidem aut  
transuersas Guelphi, Gibellini au-  
tem erectas. Si vera narrant ij, qui  
affirmant etiam, colorem album à  
Gibellinis, à Guelphis nigrum; &  
colores medios stetitisse.

Specimen horum aliquod dedit  
Paulus Iouius, dum narrat; Equites  
bis mille Galeatijs Sfortiæ, & Hippa-

gios pueros, à quibus militares eius  
equi producebantur, incitabanturq;  
in annua lustratione prodijisse om-  
nes, conspicuos ex versicolore laci-  
nia: atque insuper, quotquot erant  
conscripti in albo familiæ eius, la-  
ciniam purpurei serici, phrygio ope-  
re, ad argumentum Principis depi-  
ctam, bis quotannis dono accepisse.

Antea etiam Sfortia Magnus, & *Idem in Elog.*  
Braccius, duo strenui atque inclyti  
Duces, iisdem vsi vexillis, & laci-  
niarum coloribus, se suosque equi-  
tes sagulis ad dextram purpureis, ad  
laeuam ex albo & glauco undulatis  
induerant: nec alio discrimine; nisi  
quòd Sfortiani peracutos, obtusio-  
res Bracciani fluctus habuerint.

Non omiserim quoque limbos,  
marginisque scuti tesserarij: nam  
eos purem posse reuocari ad inge-  
nuorum, & nobilium prætextas.  
Quæ omnia si æqui iudices inuicem  
conferant; hoc est tum ea, quæ dixi  
de vestibus, tum alia, quæ subdam  
suo loco paradigmata gentiliū par-  
mularum aliquantulum à cura cõ-  
parent: agnoscent opinor (nisi meæ  
amor sententiæ me fallit) scuta gen-  
tilitia prorsus ad sua exigi exempla-  
ria; dum ex vestibus petitur eorum  
origo.

Hactenus videar aream tesserae  
gentilitiæ; quam fœciales campum  
appellant, tantummodò proposuif-  
se. Sentio iconem iam desiderari,  
quæ ipsi areæ adpingitur: & si sola  
interdum aut metallorum, aut co-  
lorum lumina sunt instar figura-  
rum, & abundè familias distinguunt.

Aggrediar nunc itaque figu-  
ras ipsas: sed necesse habeo adhuc  
nonnulla præmittere, quæ ducant

*Iliad. 11.*

*Iliad. 11.*

*Paulus Iouius in  
eius Elog.*

me facilius ad earum originem. Mos Heroum olim fuit, pellibus terribilium ferarum, exemplo Herculis, conuestiri, & cum accersita ea specie in prælijs hostem terrere. Homerus de Agamemnone;

21. Aen.

*-humeros circumiecit pelle inde leonis  
Ardentis magni, crurum tenuis.*

Virgilius de Auentino;

7. Aen.

*Ipsè pedes, tegmen torquens imma-  
ne leonis,  
Terribili impexum seta, cum den-  
tibus albis  
Indutus capiti, sic regia tecta subibat  
Horridus, Herculeoque humeros in-  
nexus amictu.*

De Euandro;

8. Aen.

*Tum lateri, atq; humeris Tegeam  
Iubligat ensẽ,  
Demissa ab laua panthera terga re-  
torquens.*

De Ornito;

11. Aen.

*Cui pelli latos humeros, erepta iu-  
uenco  
Pugnatori operit.*

De Camilla;

11. Aen.

*Pro crinali auro, pro longa tegmine  
palla,  
Tigridis exuuia per dorsum à ver-  
tice pendent.*

Et alibi.

1. Aen.

*heus, inquit, iuuenes monstrate,  
mearum  
Vidistis si quam hic errantem for-  
tè sororum,  
Succinctam pharetra, & maculose  
tegmine lyncis.*

Nec à Poetis dumtaxat ea indu-  
menta Heroibus parabantur: siqui-  
dem Cornelius Tacitus Germanicũ,  
ait, contactum humeros ferina pelle  
adijsse castrorum vias. Imò Iustus  
Lipsius eruditè, vt solet, deprehendit;

De Mil. Rom.

in Traiani columna, signiferos om-  
nes cum eo habitu spectari; hoc est  
cum leonis pelle, quæ caput armos  
dorsum tegat, & dum cauda pedes  
flagellat, veluti ad iram extimulet.

Ne quis verò miretur, Heroes  
affectasse istiusmodi belluarum for-  
mas; sciat Deos, Deasque illis olim  
indutos etiam fuisse. Sic Athenis in  
Lyco Iuno ipsa formam feræ præse-  
tulit. Saturnus autem nunc erat dra-  
conis facie, nunc rictu leonis, nunc  
apri dentibus, nunc auis cristata.

Julius Pollux l. 3.

Mart. Capell.

Eadem exuuia ferarum, olim  
præmia victoribus dabantur. Vir-  
gilius,

*--tergum Getali immane leonis* 5. Aen.

*Dat Salio, villis onerosum, atque  
unguibus aureis.*

Sed & ipsos Heroum, ac Ducum  
equos tegumentis ijs internebant,  
vt hostes magis terrefacerent. Vir-  
gilius item;

*Ducunt exortem Aenae, quem ful-  
ua Leonis* 8. Aen.

*Pellis obit totum, præfulgens ungui-  
bus aureis.*

Statius verò;

*Illum acies inter medias, iam cade  
superbum* 9. Theb.

*Nescius armorum, & primas tunc  
passus habenas,*

*Venator raptabat equus, quem dis-  
color ambit*

*Tigris, & auratis aduerberat un-  
guibus armos.*

Vt ad Heroes redeam, eæ formæ,  
aut similitudines, citra notam im-  
manitatis, eis tribui potuerunt. Quid  
enim? Christum Imperatorem æter-  
num appellamus Leonem de Tribu  
Iuda; & si minus Leonis pelle, saltem  
illius fortitudine ipsum induimus.

Ex Historicis etiam sacris, vnum instar Bouis, Leonis instar alterum, tertium Aquilæ instar figuramus.

Videlicet fuerit dumtaxat inhumanum & barbarum; aut inuolui pelle hostis perempti, quod de Gelonis Herodotus, Plinius de Scythis narrant; aut animalium figuris corpora inscribere à pueris, vt fuso cicatricibus infuso crescerent cū etate pigmenta, quod refert Solinus de Britannis. Quemadmodum & Brasili, & Indiæ Populi alij nunc etiam incisos corporum suorum arctus, succo expresso natiui graminis, colorant.

Demus itaque ornamenta hæc antiquis, & nouis Barbaris; vel, quod ait Uidorus, *Permittamus, vt has ad sui specimē cicatrices ferat pictis arctibus maculosa nobilitas*: dūmodo maneat; nec barbarum, nec à vera fuisse virtute alienum, amiciri pellibus ferarum, quæ vtique in Heroibus masculum animum ac strenuum tegebant.

Quod in rem nostram facit, vel inquinante paulatim luxu priscam illam, & nobilem indumenti Heroici seueritatem; vel quia non satis munimenti erat in pellibus, aduersus telorum impressiones violentas: cum ferro tegere corpora oporteret, deinceps in clypeis, galeis, & sagulis gestari cœptæ sunt icones ferarum; nec ex re alia, quàm ex vestiaria supellectile fortissimorum Ducum ac militum, data est origo tesserae etiam figuratis.

Enimuerò interfuit bonæ administrationis, in re bellica; vt interno-sci posset vnusquisque militum, saltem ex clypeis, eorumvè signis.

*Ne milites, inquit Vegetius, in tu- multa prælij à suis cōturbantibus aberrarent, diuersis coloribus, diuersa in scutis signa pingebant, vt ipsi vocant, δῖγυατα, sicut etiam nunc moris est fieri.* Quæ signa ad id conferebant etiam, vt quisque ex armamentario sua sine errore caperet arma: in ipso autem prælio, vt qui fortes essēt aut ignaui, Ducibus ij proprijs noti, conspicuiq; redderentur. Polybius de galeis agēs; *adornantur, inquit, & simplici tege- ne capitis; atque est, cum lupinam, aut tale aliquid imponunt, tutela simul, & signi causa: vt Ducibus, cum strenuè, aut aliter pugnauerint, possint innotescere.*

Proderant præterea, vt sciret hostis, cuius manu caderet, aut quem superaret; atque eò spectat responsio illa Spartani militis; qui cum haberetur ludibrio, quasi ex ignauiā & metu muscam exilem, & viua nihilo grandiore, in clypeo pinxisset, imò, inquit, *vt agnoscar: vsque eo enim accedo, vt hostes cernere cominīs possint signi mei modum.*

Hinc crebra apud Scriptores mentio militarium signorum, quæ custodiebantur accuratè; thecisque inuoluebantur. In Agamemnonis clypeo, inquit Pausanias, *terror expressus est, cum leonis capite, & cum epigraphe.*

*Hic pavor est hominum, manibus gerit hunc Agamemnon.*

Alcibiadi dedit Athenæus solum fulmen, excussum è nubibus; Plutarchus adiecit Cupidinem, qui fulmen complecteretur. Vlyses delphinū ad Troiam, & Græci milites communiter Neptunū, Troiani Mineruam gestarūt in eo bello decennali.

Aliàs Græci vsi sunt rursatis clypeis; Car-

Lib. 2. c. 18.

Tac. lib. 1. 667.  
Dio in Domitio.  
no.

Plut. in Laconiæ.

Cas. in Comen.

Lib. 5.

Athen. l. 12. c. 16.

Plut. in Alcibiad.

Sens. in lib. 2.  
Æncid.Alex. ab Alex.  
lib. 6. c. 32.Herod. l. 1.  
Plin. l. 2. c. 2.

Solin. c. 35.

Ibid. Orig. l. 19.  
c. 23.

Carthaginenses, Cimbri, Teutones, Thraces, Pœni aut pictis, aut ex auro sculptis imaginibus exornarunt scuta.

Plin. l. 35. c. 5.

Peculiariter Pœni, inquit Plinius, ex auro factitauerunt clypeos, & imagines, secumque in castris tulere. Certè captis eis, talem clypeum Afrubalis inuenit Q. Martius Scipionum in Hispania ultor; idemque clypeus supra fores Capitolinæ Aedis, usque ad incendiū eius primum, perseverauit.

Decad. 3. lib. 5.

Liuius quoque tradit, in argenteo scuto Hānonis Carthaginēsis, pondocentum triginta octo, fuisse imaginem Barchini Afrubalis.

lib. 9.

Anchoram in scuto cuiusdā expictam, ait Herodotus, quoniā, inquit, nunquam quiescens, semper rotabatur.

Apolli. lib. 3. Bilibo.

Theſeus vultum leonis, & Polynices vultum apri in eo gestarunt. Noti sunt etiam Claudiani versus;

De Belle Getico.

*Neruius insequitur, meritisque vocabula Felix,*

*Dictaque ab Augusto Legio, nomenque probantes*

*Inuicti, clypeoque animosi teste Leones.*

Nunquam absoluerem, si quæ mihi hæc scribenti obuersantur huius generis plurima, vellem ea hoc loco prolixius referre. Tantum indicauerim, sicut ante exactum tyrocinium pura parma, & in gloria milites utebantur; quam & Statius nubigeram vocauit, propter chalybis læuorem: ita qui diutius meruerant, coronas, torques, phaleras, hastas creptas hosti, cædesque, & prælia, aut etiam ea, quæ gerere proposuerant, in sagis, in galeis, in clypeis eos figurare consueuisse.

Solent, inquit Iustus Lipsius, Græci,

Romani, Barbari varias formas, aut colores scutis addere, siue ad insigne, ut cognobiles essent, siue ad decorē. Vetus ritus, quem Heroicis quoque temporibus video obtinuisse. Postea magis ad rem nostram; ab illis peculiaribus, inquit, nata insignia, & argumenta hæc familiarum, quæ in usu esse dicam, an abusu? ignauissimi usurpant, & quos meliore iure increpes, quam suū illum Africanus Scipio, qui cum ornatum scutum (verba Frontini) elegantius cuiusdam vidisset, dixit non se mirari; quod tanta cura ornasset, in quo plus præsidij, quam in gladio haberet.

In Anal. ad Mil. lib. 3. Dial. 2.

ibidem.

Imò addam ego, ex his figuris non insignia modò, sed insuper militum, & Ducum cognomenta nata esse. Videntur verò instituto huic oracula ipsa præludere voluisse: nam Lyfander non satis monitus, per oraculi ambages, ut Draconem vitaret, à milite occisus est, qui gestabat in clypeo iconem draconis.

Adrastus quoque, iussus ab oraculo filias nuptum dare, alteram Apro, & alteram Leoni, desponsauit eas Polynici, & Thydeo; nam ille cum spolio Apri, & hic cum spolio Leonis præliabatur.

Postremò ut quæ mea sit sententia summam dicam; do utiq; hæc signa, aut omnia, aut pleraque esse præmia rei bene gestæ domi forisque; sed postquam euaserunt signa generis, atque ad posteros transcribi ceperunt, aio in vestibus exprimi, & circumferri consueuisse, aut in sagis, si ad bellum iretur; imò & in galeis, & in loriceis, & in clypeis, & in vexillis, & in equi dorsualibus, phalerisque.

Sic Torquati torquem olim gestauerint; postquam T. Manlius, Tor-

Ving. 7. Den.

Torquatus in certamine militi Gallo illum cum vita eripuit; aut Cincinnati crinem, postquam auctorem huius cognomenti, cum coma & cincinnis natura enixa est.

Postmodum existimo, in solis clypeis hæc eadem familia insignia exarari cœpisse. Tamen si verò usurparentur etiam, ut dixi, in loriceis, in galeis, in vexillis, præterquam in vestibus; ab his vestibus potissimum perij originem eorum: quia in eisdem communiùs, & frequentius, hoc est, seu pacis essent, seu belli tempora, circumferebantur.

Si modum desideres hæc signa transcribendi ex vestibus ad clypeos, nempe ex vnius luminis panno, vel bipartito, vel quadripartito, vel lemniscato, vel scutulato, fingas clypeo superponi pannum eius schematis, & statim habes istiusmodi gentilitias tesseras.

Quod si deinde icones in area sint pingendæ, fume paludamentum, in quo sint figuræ aut innexæ, aut intextæ: & par erit picturæ huius facilitas. Ut exemplo rem aperiã, ex trabea Sancti Ludouici Regis potes aut terna exscribere aurata lilia, aut plura & sine numero, vernantia in solo cyaneo; & habes tesseras Regum simul, & Principum consanguineorum, in Regno Gallia.

Ex clamyde item Ferdinandi IX. Regis sanctitate iuxta & maiestate venerandi; ex eius, inquam, clamyde, intexta castellis & leunculis (quia Rex erat Legionis, & Castellæ) parmulam habebis, aut bipartitam, si vnum leunculum expingas, & vnam turrim: aut si exscribas duos leunculos duasve turres, quadripartitam,

eruntque dispositi tetrantes vnius alueoli; prorsus ad normam rei tesserariæ; nam icon vna in primo & ultimo, altera in secundo tetrante ac tertio figurabitur.

Ne multis, eum, quem dixi, fuisse morem texendi in trabeis, & sagis figuras rerum varias, cum Heroica significatione, Athenæus, & Polybius testari poterunt: nam ij dum referunt Antiochi aulam, & superbium eius apparatus, postquam millenos & millenos descriperant habitu, armis, diademate cōspicuos; affirmant, cunctis paludamenta purpurea fuisse, quibusdam autem auro texta, & animantium imaginibus picturata.

Neque id magnopere miror; nihil enim est, quod ars humana in eo genere non conetur. Ita Iustiniano Imperatore mortuo, instrata est ei vestis stragula, in qua phrygio opere intextæ erant victarum Urbium, & barbarorum Regum, quos debellaauerat effigies: in ea verò elatus, non tã ad tumulum, quàm ad triumphum ire videbatur.

Multò faciliùs fuit, exprimere icones ferarum: quæ discrimen Heroum faciebant, & nomen ipsis iuxta posterisque, ut dixi, velut commune generi vniuerso, imponebant. Ad simile quid fieri hodieq; deprehendi in Urbibus varijs oræ Septentrionariæ, in quibus nimirum ædes ciuium notatur icone aliqua, aut auium, aut ferarum, & vulgò inde nomen familiarum oritur: ut dicatur filius Aquilæ nigræ, filius Leopardi, qui in ea domo natus est vel saltem degit, cuius domus insigne sit aquila, seu leopardus.

*Athen. lib. 12.  
Polyb. lib. 5.*

*Baron. ad Iustian.  
an. 39.*

*Superatur difficultas, quæ videtur ori-  
ri posse ex metalli usu in pictura  
teseræ gentilitiæ.*

Cap. XI.



**D**BITARE quis posset, cur natas ex panno affirmauerim icones teserarias; siquidē in eis inueniūtur præter colores metalla, vtique parū accōmodata rei vestiariæ? Difficultas hæc admodum est pertinens, & grauis, ex eaq; telum video in me torqueri satis validum: proinde confero me statim ad lorica, ne pateat vulnere locus.

Videlicet lorica etiam cuditur ex metallo; attamen potuit accepisse originem ex lino, ex panno, ex crudo corio, vt verbo dicam, ex re vestiaria. Id si ostendero, impetrauero etiam, potuisse nostras teserarias icones prouenire ex veste, aut ex panno; tamen iam confici debeant ex metallo.

Loricis à loro inditū nomen esse, ait Strabo; quia de corio crudo, inquit, pectoralia faciebāt. Ex lino item fuerunt, ipso Troiano bello, eoque munimenti genere sunt vsi Ajax, atque Adrastus. *Honor lino*, inquit Plinius, *etiam Troiano bello; cur enim non ꝑ prælijs intersit, vt naufragijs?*

*Homer. Iliad. 2.*

Thoraces perinde lineos Xenophon Thracibus; Hispanis Strabo; Æmilius Probus Macedonibus tribuerunt; & Plutarchus ipsimet Alexandro magno. Sed & Liuius refert, Augustum legisse in veteri thorace linteo *De Cossis optimis spolijs*.

*Lib. 1.*

Scio, Pausaniam existimare, lo-

ricam lineam venatoribus potius, quàm bellatoribus fuisse aptā: dum lorica linteæ, inquit, pugnantibus, non equè tiles: transmittunt enim vel coacta, vel fracta ferrum. Venantibus autem profunt, franguntur enim, aut retunduntur in ijs leonum dentes, ꝑ pantherarum.

Nihilominus Scriptores alij fermè dāt eis firmitatem chalybe maiore. Suidas quippe loricarum coactiliū, ait, sinuationem fuisse firmam, ac stabilem: & hæc verba Iustus Lipsius ita interpretatur, quasi sensus sit: duras eas fuisse, nec potuisse flecti, quamuis seruarent cavitatem, habitumque corpori aptum. Nec frustra Cæsar, *omnes ferè milites*, inquit, *aut* Lib. 3. Civil. *ex subcoactis, aut ex centonibus tunicas, aut tegmenta fecerunt, quibus tela vitarent; si hostiles sagittas admitterent.*

Plinius lana, inquit, *per se coacta* Lib. 8 c. 48. *vestem faciunt; et si addatur acetum, etiam ferro resistent.* Laudatur verò Conradus quidā ex Monte Ferrato, qui vt loquitur Nicetas Choniates, ipse tūc quidem sine scuto pugnat, sed In Isaci rebus. *ex lino factum textum quoddam vino austero affatim salito madidatum, sæpius replicatum loco thoracis induerat: adeo autem ictibus resistebat, vino, ꝑ sale coactum, ꝑ perfusum, vt omni telo esset robustius.* Porrò quæ subcoacta Cæsar, hæc Vlpianus coactilia, & Plinius lanas coactas nominarūt. Vulgo feltri.

Itaque ex panno icones teserariæ non minus accipi potuerunt, quàm lorica: tamen ferreæ postea fieri cœptæ sint, tū lorica solidæ, nempe ex integra lamina; tū lorice segmentatæ, ex laminis nexilibus & quasi cratibus; tū lorica catenatæ seu hamatæ ex insertis anellis; tū lorica squa-

squmeæ vel plumeæ , in modum piscium vel auium ex ferro elaboratæ. Ut fileâ loricas corneas , ex ferarum cornibus rasis & læuigatis , loricasque vngulatas , ex vnguibus equorum præfectis ac purgatis; quæ ex ferro non parabantur.

Obiter illud insinuauerim , & si Strabo pectoralia loricas vocauit , easdem texisse nihilominus ex equo humeros etiâ . Ideo Alexander Magnus fertur fugitiuis militibus semiloricas dedisse : vt manentes quidem in acie , tuti essent , defenso pectore ; at in fugam conuersi humeros nudos exponerent iniuriæ . Fiebant verò ea impatientia & robore ; vt telum catapultarium , quantumuis incidens violenter , illas sepe non frangeret ; solaque strictura leuis & cæca ex ictu superelse notaretur .

Sed si hæc , quæ recensui de loriceis , haud sufficient ad necessariam defensionem ; explicabo vexilla , vt euincam certiùs , ex panno rectè originem peti gentiliũ tesserarum . Etenim nõ inficior quidem , a quilas , & alias feras ex metallo fuisse in legionum signis , ornarique & vngi , tanquam Deorum simulacra , eas consueuisse . Sedenim scio , ipsis Heroicis temporibus fuisse aliqua vexilla textu serico .

Dracones loquor , quos fuisse tunc etiam in velis pictos , indicare videtur Prudentius his versibus ;

*Proquè ventosis draconum , quos  
gerebant pallijs ,*

*Præferunt in ligno signum , quod  
draconem subdidit .*

Sed & eos fuisse textiles , atque habuisse corpus , quod aurâ acciperet ,

sibilum ederet , spiraretque iram , ex Ammiano disces . Qui describens Constantij Augusti ingressum in Urbem ; purpureos , & subtegminibus textos dracones recēset , hiatu vasto perflatiles , & perinde ac si essent iraperciti , sibilantes , caudarumque in ventum volumina spargentes . Claudiani versus eò spectant ;

*--quid fixa draconum*

*Ora velint ; fluitent ventis , an vera  
minentur*

*Sibila , suspensum rapturi dentibus  
hostem ?*

Clarius adhuc Sidonius ;

*--Iam textilis anguis*

*Discurrit per utramque aciem , cui  
guttur adactis*

*Turgescit Zephyris : patulo mentitur  
hiatu*

*Iratam pictura famem , pannoque  
furorem*

*Aura facit , quoties crassatur ve-  
tile tergum*

*Flatibus , et nimium iam non capit  
aluus inane .*

Quos Sidonij versus expendens Iustus Lipsius , vix aliud possis dicere , inquit , quàm desingi ab eo rotundũ , et inanem draconem , ita textũ , vt vento turgescat , quem per guttur admittat .

En itaque belli signa ex panno interdum , interdum ex metallo : vt possint etiam insignia gentilitia ex panno aliquando fuisse , & nunc exigi ex metallo .

Vt veniam propiùs ad aurum & argentum , hoc est ad metalla , quæ sola congruunt rei tesserariæ , coronã in medium adfero ; nam hæc etiam , cùm iam paretur ex alterutro pretioso eo metallo , ex lino tamen olim aut ex panno parabatur .

Fuit



*Q. Fabius Pictor  
l. 1. Athen. l. 15.*

Fuit corona initiò vinculum capitis, inductum ut nimix potioni mederetur; atque adeo inuentor eius pariter ac vini creditur fuisse Liber, seu Ianus. Strophium Virgilius appellauit;

*Virg. in Cupa.*

*Eia age pampinea fessus requiesce sub  
umbra;*

*Et grauidum roseo necte caput  
strophio*

Capitis nimirum arterias interstringebat, ne vini vapores ad cerebrum permearent; atque hæ vittæ lintæ ornari cœptæ sunt rosis, aut alijs floribus; natæq; ex hoc ritu sunt corollæ florea conuiuales.

*Orat. 6. de gloria.*

Sed diadema regium etiam fuit falcia caput euinciens. Dio Chrysostomus; *Si quis alius, inquit, caput illesum fascijs obligaret, omnibus esset ludificatui; Regibus tamen id honestum putant, & multa hominum millia pro eo linteolo mortem oppetuerunt.*

*Plut. in Politic.*

Seleucius Rex, cum traditum sibi diadema, ut capiti suo illud imponeret, diu considerasset, dixisse fertur;

*Valer. Max. l. 7.  
c. 2.*

*O nobilem magis, quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus et periculis et miserijs sit refertus; ne humi quidem iacentem tollere vellet.*

*Strabon.*

In eandem sententiam Antiochus, cum Anus quædam beatum ipsum prædicaret; *O mater, inquit, si scires, quot eorumque maximorum malorum causa sit hic pannus, diadema tuum ostendens, profecto ne supra finem quidem possum auferras.*

Si hæc non iufficiunt; ut in comperto habeatur, diademata Regum aliquando fuisse linum & pannum; subdam aliquid, quod pudet prope modum referre. Nempe hunc etiam

ignobilè, & funestum eius usum fuisse: ut Milesia vxor Regis Mitridatis eo sibi fauces interpresserit; *Lacerato capitis diademate, inquit Plutarchus, illud circumposuit collo, seque suspendit: statim autem fracto, & impurate, inquit, panne, ne ad hoc quidem mihi utilis eris.*

*Plut. in Lucullo*

Honestius sit narrare, Alexandrum Magnum, cum de equo exiliens, hastæ cuspide Lysimachum ita in fronte vulnerasset; ut sanguis aliter sisti non posset, diadema sibi admisisset, & adposuisse eius capiti, studio vulneris obligadis; siquidem alia instituta in promptu non erat.

Quæ omnia suadebunt facile, coronam olim ex lino & panno fuisse; & si iam ex pretioso sit metallo: atque adeo ex panno potuisse prodire icones gentilitias: tamen si factiales nunc illas misceant coloribus & metallis.

*Confirmatur potius eadem sententia ex ipso usu auri argenti que in apparatu rei tesserae.*

*Cap. XII.*



**R**ETORQUEO iaculum, & probo; ex metalli vlu euinci posse; congruè admodum peti, ab indumentis nobilium, originem iconum gentilitiarum. Sciscitari libet, & cur ab his profana symbolis facestant alia metalla, nempe æs chalybs ferrum? An hæc videntur inclytis ducibus, & militibus strenuis minus consentanea? At cognatio quædam eisdem militibus, ut ita dicam, est cum ferro; agnoscitque eam Claudianus;

*--coniuncta per artem*

**F** *Fle.*

*Flexilis inductis hamatur lamina  
membris,*

*Horribilis visu; credas simulacra  
moueri*

*Ferrea, cognatoque viros spirare  
metallo.*

*Tertul. de Pallio.*

De Achille etiam ducum maximo, quando eum Thetis genitrix habitu puellæ occultauit, Tertullianus; de praelio sonuerat, inquit, nec arma longè: ipsum ferrum virū attrahit.

*De habitu militiorum.*

Cur ergo ferrum seu chalybs nō ornat peræque clypeos ducum honorarios ac gentilitios: quemadmodum ornat, instruitque clypeos eorum veros ac militares? Dicam & ego cum Tertulliano; *si de qualitate usus gloria est auro, & argento; at quin magis ferro, & auri? certe non ager auri opere paratur; nec nauis argenti vigore contextitur; nullum bidens aurum demergit in terram; nullum clauus argentum intimat tabulis: & paulò post: iam igitur æstimandum est, unde obueniat tanta dignitas auro, & argento; cur & consanguineis, quantum ad genus, & potioribus, quantum ad utilitatem, præferatur?*

Dabo autem eamdem, quam ipse causam: nempe, *quoniam aurum, & argentum principes materiae sunt cultus secularis, verbo dicam; quoniam de ornatu vestium agitur: & in vestibus æs chalybs ferrum locum non habent. Si fæciales igitur alia metalla præter argentum, & præter aurū in suis clypeis tesserarijs non admittunt, an non tacitè insinuant; ex vestibus rectè sumi originem eorū, quæ vestes, duo illa pretiosa metalla dūtaxat, ad sui contextum admittunt?*

Ad hæc præcipiunt ijdē fæciales, ne metallum metallo; idest aurum

argento, vel secus in clypeis hisce symbolicis adiungatur. Atqui cælatura militarium clypeorum societatem coniunctionemque auri atque argenti sanè non respuit. Quid enim? de Sigimere Regio iuvene, deque ipsius lectissimo comitatu, *clypeorum lux*, inquit Sidonius, *in orbibus niuea, fulua in umbombus, ita censum prodebat, ut studium*. En auri argentiq; in eis nitor: & Poetæ nihil habent frequentius, quàm ut scuta Heroum his duobus exornent metallis.

Ad Regum igitur & nobilium vestes eundem est, quas opere phrygio elaboratas, fulsisse constat, nunc auro, & nunc argento: uti modò insinuabā ex Tertulliani sententia.

Hæ porrò vestes nunquam argenteus pannus fuerunt, cum aureis intextis ornamentis, seu contra: sed vel fericus erat pannus, eique aurum seu argentum intexebatur: vel parti fericæ pars aurea seu argentea, instar virgæ, aut segmenti, aut scutulæ aut flosculi, aut auiculæ, aut leunculi addebatur assuebaturque; & fiebant vestes virgatæ, segmentatæ, scutulatæ, aut pictæ. Ex quibus quia trahitur nostrarum gentilium tesserarum origo; idcirco interdicitur, ne in eis metallo metallum addatur. Quemadmodum interdicitur etiam, ne addatur colori color; quia phrygiæ vestes, quales nobilium erant, sine auro & argento, vel intexto vel aliter per acum inducto, parari non solebant.

Consideretur etiam locutio ea fæcialium; qua nimirum, quod est in scutis gentilitijs, vel aureum, vel argenteum, iam neque croceum ipsi nomi-

nominant, neque album: sed retinentissimi sunt metalli utriusque; atque adeo ipsis auaris constantius semper argentum, & semper aurum sonant. Et tamen sepe numero in harum tesserarum pictura, loco auri luteus color, & color albus loco argenti solet adhiberi.

Nempè nihil vulgare, aut humile pati ex æquo, aut vestes nobilium, aut eorum tessera debuerunt: ideoque illud utrumque lumen ex metallo, re utique pretiosiore, quàm ex licio byssi aut lini accipere maluerunt. Si licuisset pro purpureo, pro cyaneo, pro prasino, pro ianthino, furoque ductiles gemmas, hoc est pyropum, saphyrum, smaragdum, amethystum, adamantem liquare in itamina, & intexere: eas gemmas pro lanæ pigmentis luxus ad vestium cultum trãtulisset: sicut aurum, & argentum pro luteo & albo demum transtulit.

Hæc itaque facialium locutio etiã ipsa probat, tesseras gentilitias, quod sapius dixi, ex vestibus natas esse. Alioquin si de pictura, non de vestium ornatu ageretur, deberent aut possent saltem duo ea lumina exprimi coloris, & non metalli appellatione.

*Adferuntur quadam adhuc verosimilia, quæ suadent originem eandem gentilium Tesserarum.*

*Cap. XIII.*



**N**IMIS videar, nisi contraham omnia, quæ supersunt, & proponam ea quàm brevissimè.

Si in scuti gentilitij area color sit, & in eius adpicta iconè sit metal-

lum: tessera creditur plus & anti-  
quitatis, & nobilitatis præferre; quàm si metallum in area fulserit, exceperitque illud color icones. Cur id verò? an quia priscus mos fuit, serico velo intexere aurum? nam vestes omninò aureas, saltem vsu frequentiore, induxerunt Barbari.

*Philos. Campa. nile.*

Cur deinde humanæ formæ in ijs honorarijs tesseris raræ spectantur? an quia raræ in Heroum & Nobiliũ trabeis ac sagis ex pingebantur?

Cur item præcipitur; ne ut plurimum gentilium scutorum icones insistant humi, sed persistent librata mole tantum sua? An quia desumi ex panno solent, in quo plures acupictæ spectantur absque tumulo & basi, nec re vlla sustentantur?

Cur etiam violaceus color est rarus admodum in hisce scutis symbolicis? An quia ille distinxit olim Cleri vestes, Templisque & aris, non castris meruit; atque ideo in vestibus peræque, vel in clypeis honorarijs non fuit illorum, qui castra sequebantur?

Cur præterea (exemplum esto in lilijs) scuti areola obsita, & conspersa ijs floribus absque numero, in extrema circum ora ostendit eos sectos, truncos, & recisos? An quia ita prorsus eueniret; si pannus cyaneus, intextus auratis lilijs, militarem clypeum tegeret ornaretque? Certè pictura flores in eum modum præfectos & mutilos nunquam daret; sed flores eosdem pulcherrimos melius fereret disponderetque.

Cur insuper faciales admittunt vellera scutaria, seu quæ muscarijs atris, seu quæ petasis cyaneis variantur? An quia preciosiores eę pellespe-

etare ad vestium ornatum existimantur?, cum earum vna praesertim suffutura vetus clamydis Regum Gallorum appelleretur?


Quid recenseam cruces militariū Ordinum? de his alibi quidem agendum erit: nunc insinuauerim tantummodò; ipsas ex panno fuisse olim, hodièque pannum esse.

Omitto figuras terarum atque auium complures, ac formas rerum varias, quae in his familiarum tesseris imbuuntur colore non suo frequentissimè; nec aliam ob causam: nisi quia solent ad argumentū Principis colorari, ac veluti expingi eorum indumentis.

Sileo pariter vestes eorum, qui armigeri, aut faciales sunt Regum aut Ducum maximorum. Sunt enim schemate simili, ac regia eorum tessera: tanta videtur esse rei vtriusque propinquitas, & veluti cognatio.

Explicabuntur non ita multò post quaedam scuti tesserarij partitiones, in quibus Patres Patrati, & faciales sententiae huic nostrae subscribere videbuntur. Nonnullas enim parumulas gentilitias manicatas vocant, brachatas alias, & alias clamydatas. Iisdem quando scutario capiti colorato, coloratam institam iungunt, ita loquuntur; quasi nexilem pannum affuere capiti scutario item ex panno, dicerentur. Et quia scuti partitio vniuersa (vbi suo loco apparebit) designatur per caput, collum, pectus, umbilicū, crura, & pedes: perinde ac si vestis vni viro potius, quam pictura vni clypeo adornaretur: haec me sanè magnoperè confirmant in sententia, de horum insignium origine ex vestibus petenda.

Concludam, & dabo iam in thestrum hermas aliquot, conuestitas insignibus tesserarijs: quas videre est prominètes ex casside scutaria nobiliū quarumdā familiarū Germaniae.





Habent eosdem typos in veste, qui spectantur in clypeis honorarijs, atque ostendunt illam, quam inter hæc duo reor equidem intercedere affinitatem.

Fateor tamen, inter solas nos cōiecturas versari, & posse contingere, ut error sit; ita de harum tesserarum origine pronunciase. Sed ab æquis iudicibus hic erit existimandus saltem eiusmodi error, qui me isthæc scribentem, apud ad fallendum, hoc est inter tot & tam pulchra rationū momenta, veluti personatus, præiuerit cū larua simillima veritatis. Sum enim alioquin satis gnarus, falsa interdum veris probabiliora videri; suoque fascino sæpenumero illudere mēti ea, quæ ex ingenio proprio, vel necesse vel volupe saltem fuit, in re maximè ambigua, excogitare.

Demum fateor illud etiam, me studio magno quæsiuisse; num Scriptorem aliquem inuenire possem, qui mecum idem sentiret, & incidisse dumtaxat in ea Lyrani verba; *Signa propria sunt in vestibus & scutis, quibus bellatores mutuò se cognoscunt, & suos ab aduersarijs distinguunt.*

*In c. 2. lib. 11. Non.*

*De materiata scuti tesserarij figuratiōe, Cap. XIV.*




ICTURAE nostræ huic heroicæ tabulæ apparere iam debemus; eã verò scutum esse, paulo altius insinuavi.

At fuerunt in re bellica diuersæ res, scutū, clypeus, parma, ancile, pelta, & cetra: & quodnam igitur eligemus? Considerare singula præstat; & tum licebit sapienter statuere, quænam

præ alijs forma operi consentanea iudicetur.

Scutum Romanorum, vel erat



latitudine inæquali, ac circa umbilicum laxius; vel erat instar imbri-




cis conuexi recuruum. Illud medio loco, & hoc ad latera Dio Cassius *Lib. 45.* collocauit, in testudine militari cōpaginanda: hoc est congruè, tum ad planitiem, tum ad accliuem decliuemq; seu ascensum seu descensum eius. Lōgitudō ea erat, quæ militem totum, se inclinantem leniter, in prælio tegetet: ideoq; fiebat facilè, ut miles idem stans in vigilijs, capite super scuti marginem posito, sæpenumero indormiret.

*Liuius lib. 44.*

Scuti eiusdem vsum à Samnitibus Romanos didicisse, Athenæus credit: sed Liuius, Dionysius, Plutarchus *Plut. in Romul.*

ante

ante Samnites notos, inductum eiusdem scuti usum, suadent; dum perhibent, Romulum sua & Romanorum arma, clypeos Argolicos ferentium, in scuta mutasse à Sabinis accepta. Præterquã quod Samnitici scuti forma discrepabat à forma scuti Romani. Livius enim ita illud circumscribit. *Erat summum latius, qua*



*pectus atque humeri teguntur, fastigio equali, ad imum cuneatior, mobilitatis causa.*

Clypeus eò differebat à scuto, quod non in lógum exiret, sed teres esset, atq; in orbem formatus. Id verò causæ fuit, cur Solis comparatione figura eius exprimeretur, & cur Virgilius dixerit;

*--clypeisque sub orbe teguntur.*

Parma item rotunda vocabulum accepit, quòd à medio, inquit Varro, in omnes partes par, & ea equites, sicut legionarij scutis vel clypeis, utebantur.

Ancile scuti genus, circum seu ab omni parte ancilum, ut Varroni placet, vel vndique circumcilum, ut loquitur Seruius, angulis carebat, ac teres omnino erat: Ovidius

*Id ancile vocant, quòd ab omni parte recisum est,*

*Quemque notes oculis angulus omnis abest.*

Plutarchus tamen putat fuisse ancile, instar reflexæ revolutæ ac curvæ lineæ, habuisseque apices in se mutuò redeuntes.

Pelta scutum brevissimum, quia lunæ mediæ similitudinem referebat, seu cauum erat instar lunæ, à Poetis ideo lunata dicta est. Seneca

*--lunata latus*

*Protecta pelta.*

Et Virgilius

*Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.*

At Iustus Lipsius fuisse bilunem, credit, seu instar duplicis semilunæ, idque conijcit; tum ex antiquorum lapidum monumentis, in quibus spectatur Romæ Amazonum pugna, instructa bilunibus peltis; tum ex Marciani Capellæ ea comparatione; qua formam peltæ Amazoniæ reddi ait, ab illa Italiæ parte, quæ Brutios habet, & in qua duo promontoria duplicem sinum pandunt, cum medio discrimine, seu eminentia; iuxta Ptolemæi, atque aliorum tabulas.

Cetra pariter scutum breve, ac proprium Afrorum, ad Hispanos ab eis tránsijt. Sed & Britannos breuibus cetris vlos esse, affirmat Tacitus; Maurique nunc eis armantur; maiusculis tamen, & figura humani cordis: an quia necesse in prælijs est, corde præstare?

Porro ad scutum ut redeam, pars eius mediæ & protuberans, umbo appellatur, auertendis ictibus lapidum, sarissarum, & cuiuscumque teli violentioris; atque adeo repellendis cominùs in conflictu hostibus. Margo, seu labrum erat ferri lamina, scuti lignei extremã oram ambiens muniensque, sustinendis ictibus. Dux

præ-

Lib. 9.

In Numa.

De mil. Rom. l. 3. dial. 2.

Strabo.

Polyb. Suet. in Tulio.

Curt. lib 3.

Lib. 12. Æn.


In Paffis.

præterea introrsum anse brachio scutum aptabatur, totidemque lora suspensum alligabant humero, quoties progredieretur miles, aut mutaret castra.

*Plus. in Acmil.*

Iam ut definiam, & quamnam debeat esse scuti tesserarij materiata figuratio, paucis rem expediam. Exillimo enim ad scuti Samnitici formam, infernè cuneatam & pinnatam, æqualem autem supernè, exigi posse materiata scuti huius honorarij figurationem. Suffragatur eius antiquior in monumentis Nobilium ac recens usus; præsertim in Regionibus atque Prouincijs, in quibus vigent maximè studia rei tesserarij. Et si passim in Italia nunc figura scuti ovalis usurpatur, retineturque: nescio an ex Pictorum, & Sculptorū imperitia. Accedit Iusti Lipsij auctoritas, qui cum proposuisset ex Livio scuti Samnitici descriptionem: *facilis intellectu, inquit, hæc descriptio: et videmus etiam in maiorum nostrorum insignibus, aut monumentis hæc talia scuta.*

Ut obiter dicam de parmula symbolica quoque Matronarū illustriū,



ea formatur specie ac similitudine oxygoniæ, seu lingulatæ tessellæ, desinentis ab omni parte in promissorem cuspidem. Alij puluillum vocant, in quo exercēt mulieres lin-

*Philib. Căpanile.*

tearia opificia: cum laus potissima ipsarum sit, quemadmodum & olim Lucretiæ, inter lucubrantes ancillas domi nere, subtegmina ducere, plagulas intexere, & rem domesticam (viro procurante rem publicam) administrare.

Huic puluillo illustriores matronæ, torquis loco, cingulum laqueatum, & implexum identidem, circumponunt. Quod loreum stemma censetur proprium gestamen fœminarum Principum, deditque initium Anna Dux Arëmoriorum: ut tessera id esset suæ erga Diuum Franciscum venerationis, Circumferebant olim cinctū auratū, velut pudicitia symbolum: sed intermisere, postquam incipit esse promiscui usus.

De materia ipsa scuti nihil admodum attinet loqui: olim *ἀπὸ τοῦ οὐρότος*, id est à loro veriùs, quam à secando, vel ab excutiendo tela, nomen accepit: & ipse Iuppiter in pugna contra Tytanas, caprea Amaltheæ tegmen pro scuto habuisse fertur. Postea ex cratibus iūctis taurino glutino, aut protectis pelle lupi tauri vel vituli; ex viminibus, & neruis tortis ac duratis; ex assulis compaginatis, aut ex duplici tabulatione arboris alicuius aquaticæ (cuius vtpotè lentillimæ contrahit se plaga, claudensque vulnus suum contumaciùs ferrum transmittit) atque adeo ex ferro chalybe ære argento auro fiebant. Neque hoc postremum fingunt dumtaxat Poetæ, sed Historici etiam tradunt: quia luxus non utiq; fingit; sed re ipsa excedit, ac serio exorbitare consuevit.

De hac, inquam, materia haud me oporteat fusè disserere; lapides enim, tabulæ

*Lucan. l. 1.  
Stat. l. 3.*

*Tacit. l. 2. Annal.  
Ammian. l. 24.  
Plin. l. 16. c. 10.  
Curt. l. 10.  
Sidor. l. 4. ep. 20.*



tabulæ, metalla, & quidquid est picturæ, aut sculpturæ aptum, id aptum est etiam admittendis typis gentilitijs; ac tantum à temporis carie, non ab ictibus ferri metuit materia rei tesserae.

Volutas, & limbos reductos, in ambitu scuti eiusdem materiati, non probat Philibertus Capanile. Quippe cum existimet, significari ab eis membranas illas & pelles, in quibus diplomata & priuilegia Regum & Principum exarantur. Quasi tibiæ sint & caudæ ouium ac pecorum, quæ, uti superuacaneæ, extra paginam extent. Credit verò, eiusmodi scutis non indicari vetustam originem, nec partam in bello gloriam; sed urbanam laudem solum, famamque eruditionis ac litterarum; nam hominibus nouis scripta priuilegia conferri arbitratur.

Attamen Hercules ipse Heroum maximus cingitur vndique, ac regitur leonis pelle; prominentque, citra damnum honoris, circa ipsum eiusdem feræ cauda tibiæque. Nec alio habitu vexilliferi, & fortes alij bellatores olim venire ad aciem consueuerunt. Non igitur huiuscemodi volutæ, aut limbi reducti vllatenus possunt officere vetustati generis, aut veræ nobilitati.

*De metallis, quibus pigmenta sunt rei tesserae. Cap. XV.*



**A**BVLAM dedimus, & iam picturæ nostræ heroicæ (quod superest) eam aptamus; explicamus verò singulatim ea lumina, quibus pro digni-

tate solet collustrari. Agimus primo loco de metallis, ex omnium facialium consensu, & ex eorum suffragatione communi. Tamen Vincentius Borghinius, Vir alioquin disertus & grauis, arbitretur ea debere facessere ab re nostra tessera: & quod album est, debere colorem dici, non metallum: quod autem est croceum seu flauum, colorem pariter, non metallum nuncupari debere. Atque adeo album haberi instar luminis posse; si comparetur cum colore nigro, qui est instar umbræ, ex coloribus natiuis & primigenijs: esse item instar luminis croceum; si comparetur cum puniceo, cyaneo, prasino, & molochino: qui utique videntur ei esse instar umbræ, ex coloribus compositis & miscellaneis.

Est lex recepta, ut ex metallis duntaxat usurpentur duo, nempe aurum atque argentum, in rei tesserae delineatione.

Auro primas damus, quia refert solem, ac splendorem eius: ab aura enim aurum dicitur: pertinent autem ad hoc auri iubar multa, nempe

Croceus color; etsi est aliquomodo affinis rubro: ut propterea Ouidius dixerit;

*Nec fuerant rubri cognita fila croci:*

Luteus color, qui vel à croceo non discrepat: atque id causæ fuerit, cur dixerit Virgilius.

*-iam croceo mutauit vellera luto.*

vel est aliquanto dilutior; quo pacto luteum appellamus vitellum oui: & Virgilius canit,

*Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.*

Flauus; qui autem est omnino similis croceo, ut dixerit propterea Ouidius;

*In traçt. de faml Florcuttais.*

*Isid. lib. 16. c. 17.*

*In Bucol.*